

XIII, 123.

2252.

 **NOVAE**

DOCTRINAE AD VETE

rem collatio per Urbanū Regium.

M. D. XXVI.

Eme, Lege, Iudica.

W. H. ...

25



CONTENTA IN HOC LIBELLO.

De sacramentis.	6	De ieiunio.	42
De poenitentia.	7	De dierum discrimine.	45
De confessione.	8	De oratione.	47
De satisfactione.	12	De uoto.	53
De libero arbitrio.	13	De consilijs.	55
De fide & operibus.	19	De matrimonio.	56
De merito.	22	De episcopis.	59
De peccato.	25	De ceremonijs.	62
De diuorum cultu.	27	De traditionibus huma-	
De coena domini.	33	nis.	64
De ciborum delectu.	38	De concilijs.	70



VRBANVS REGIVS CVIDAM AMI
co Christum, iustitiam nostram.



VM saluator noster Marci i. spiritū
immundū ab homine eiecisset, Iudæi
obstupescabant, dicētes: Quæ doctri-
na noua hæc? Nouū enim uidebatur
miseris hominibus, ob scripturarum
ignorantiam, quod omnīū erat uestutissimum, nempe
Euangeliū, iam olim per prophetas in scripturis san-
ctis promissum, de filio dei Iesu Christo. Idē audiuit
Paulus, cum Athenis Christū prædicaret. Apprehen-
sum enim Apostolum duxerunt ad Martium uicum,
dicentes: Possumusne scire, quæ sit ista noua, quæ à
te refertur, doctrina? Noua enim quædā ingeris auri-
bus nostris: Act. 17. An protinus noua erat Apostoli
doctrina, quod Ethnicis carnali sapiētia turgentibus,
noua uidebatur? Similia omnino extremis hisce die-
bus patiuntur, quotquot Euangelium gratiæ & glo-
riæ dei pure docent, & nequaquā cauponantes uerbū
æternæ ueritatis, sed uelut ex sinceritate, sed uelut ex
deo, in conspectu dei, per Christum loquuntur. Noua
(inquiunt aduersarij) doctrina est, in hæreticorū offe-
cinis nuper cōficta, persistamus in fide ueteri. Patriæ
sanctitas, autoritas conciliorū, & tot seculorū con-
sensus, nos in uijs patrū nostrorum retineāt. Valeant
hæretici cū noua illa, in septentrione nata, doctrina.
Quæ nos docemus, à Christo atq; apostolis, non o-

Mar: 1

quicquid ig-
norant ho-
min, aduer-
sarij dicunt

Act: 17

Apphanso

Papistotz
Opinio

S. Spts.

1. Cor. 13.

omnia quidem scriptis, fideli tamen narratione ad nos usq; profecta sunt. Quibus non aliud responderim, quam quod olim Sadduceis Christus: Erratis (inquit) nescientes scripturas. Atq; utinã id saltẽ equitatis à cerebroso hominum genere impetrare possim, quod Ethnicus præstat Ethnico, nempe ut primo causam cognoscãt, dein, si uidebitur, reũ condemnent. Iã causa incognita innocentes damnant, & nobis uerbum domini obtendentibus, ipsi tantum clamant furcas, laqueos, ignem, ne minimo quidem Ecclesiæ Catholicæ loco nos dignantes, ut demirer sæpe, cuius nã spiritus sint. Nam spiritus ille mitis & placidus Christi qui corpus mysticum uegetat, salutem, non perniciem quærit errantiũ. Et charitas, spiritus sancti fructus, pro Apostoli sententia, non cogitat malum, sed congaudet ueritati, omnia credit, omnia sperat. Certe qui posito adfectu, ceco iudice, re ipsam pressius conuentur, de nobis secus iudicant. Nam bona pars eorum quæ nostri damnatores docent, priscis etiam patribus ignorantur, tantum abest ut pro ueteribus & apostolicis doctrinis haberi debeant. Ad hæc quæ patres scripserunt, non omnia apostolici spiritus sinceritatem resipiunt. Quædam etiam intra quadringentos annos, atq; adeò nuper commenta, & statim recepta sunt. Scilicet hæc est illorum tam uetus doctrina, ut fermè Euangelium præ ea, ceu nouum dogma haberi & reijci cupiant. Discant igitur tandem, nos ueterena
terena

terem & uere cœlestem doctrinã spiritus prædicare,
 nempe Euangelium dei. Magnum illud pietatis mys-
terium, quod Deus manifestatus est in carne, iustifi-
catus est in spiritu, uisus angelis, prædicatus gentibus,
quod fides illi habita est in mundo, & receptus est in
gloriam. An hæc sunt noua? deus prædestinauit nos,
 ut adoptaret in filios per Iesum Christum in sese, iu-
 xta beneplacitum uoluntatis suæ, ut laudetur gloria
 gratiæ suæ, qua charos reddidit nos per dilectum, per
 quem habemus redemptionem per sanguinem ipsius,
 remissionem peccatorum iuxta diuitias gratiæ suæ.
Hoc erat paternum dei super nos consiliũ, ante quã
iacerentur fundamenta mundi, ut saluos nos faceret,
& uocaret uocatione sancta, non secundum opera no-
stra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ
data quidẽ est nobis per Iesum Christũ, ante tempo-
ra æterna, sed palãm facta est nũc, per aparitionẽ sal-
uatoris nostri Christi, qui mortem aboleuit, uitam in
lucem produxit, immortalitatem per Euangelium.
 Quod cum per prophetas, autore spiritu sancto, ante
 tot secula sit promissum, & iam in omnes fines terræ
 diuulgatum, qua fronte illi nouam doctrinam appel-
 lant? Desistite ò uiri à blasphemijs istis, & nobiscum
date gloriam deo, ac ueritatis oracula, ut par est, pijs
animis ueneramini, ne cum reprobis induremini, qui
non credunt ueritati, sed approbant iniustitiam. Secu-
ris ad radicem arborũ posita est. Ego Christiani frã

Christus

Ad Papi-
stas.

6 VRB. REGIVS, DE DOCTRINA

tris officio functus, antithesim feci doctrinae ueteris
ac nouae, è qua charissime frater, facile, iure ne an iniu-
ria nouae doctrinae praedicatores uocemur, dijudica-
bis. Sic enim nuper quidam contemptim nos uoca-
bant, & tu quid respondendum esset maleferiatis ho-
minibus, ex me scire cupiebas. Quod cum per Episto-
lam explicari non posset, uisum est diebus hisce (qui
à carne nomen habent, quod his more gentium uelut
Lupercalia sacra celebrētur) aliquot suffurari horas
huic conficiundo negocio. Tu amici operam boni con-
sulito, & uale, deumq; pro me peccatore orato.

DE SACRAMENTIS,

Doctrina noua.



D sacramenta efficaciter suscipienda,
satis est non posuisse obicē peccati moro-
talis, neq; requiritur bonus motus inte-
rior in suscipiente, quo de congruo, uel
condigno mereatur gratiam, conferunt enim gratiam
ex opere operato, eo ipso scilicet, quod opus illud ut
pote signum aut sacramentum exhibetur. In quarto
sent. dis. 1 per doctores.

DOCTRINA VETVS.

Euangelium habet, per fidē nos iustificari, non
signo sacro. Gen. 15. Credidit Abraham deo,
& reputatū est illi ad iustitiā. Ro. 4. Itē Rom. 10.
Corde creditur ad iustitiam: nō dicit, corpore suscipi
tur

Gen. 15.

Ro. 4. 10

Ad sacramenta suscipienda
fides firma necessaria

NOVA ET VETERI.

Et sacramentum ad iustitiam. Item Abacuc 2. Ro.

1. Iustus ex fide sua uiuet: non dicit, ex sacramentis uiuet. Consequitur ergo, ad sacramenta efficaciter suscipienda, iuxta doctrinam ueterem, fidem suscipientis esse necessariam.

7

Ro. 1.
Abac. 2.

DE POENITENTIA,

Doctrina noua.



Ominis uoluntas ex puris naturalibus potest se disponere, faciēdo quod in se est, ad susceptionem gratiæ, per actū conformē rectæ rationi, qui est moraliter bonus.

Item uoluntas remouendo obicem, id est propositum peccati mortalis, & bono motu ex libertate arbitrij elicitō, primam gratiam potest mereri de congruo.

In secundo
sent. dis. 25
6. 7. 8.

Quid hoc aliud est, quàm cum Pelagio principium iustificationis tribuere nobis, cōsummationē deo? Ergo posset homo pœnitentiam suapte ui incipere, ut initium pœnitentiæ sit in nobis, quod attritionem uocant.

Hæc doctrina hypocritas facit, & superbiam ueteris hominis fouet.

DOCTRINA VETVS.

Zacha. 10. Cōuertam eos, quia miserebor eorum. Thre. 5. Cōuertere nos domine ad te, & cōuertemur. Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. Philip. 2. Deus opatur uelle. 2. Corin. 3. Cogitatio bona ex deo est. Ro. 11. Si ex operibus, iā non

Zach. 10
Tre. 5.
Ioan. 15.
Phil. 2.
Ro. 11.

d 4

Deus dat poenitentiam

8 VRB. REGIVS, DE DOCTRINA

2 Tim. 3. est gratia. 2. Timot. 3. Si quādo det illis Deus poenitentiam. Ergo iuxta ueterem doctrinam, poenitentia est donum dei, quam non uis elicitua liberi arbitrij, sed gratia iustificans operatur. Ante gratiam nec cogitatio nec uoluntas bona est, nec ullum bonum opus sed tantum peccatū. Quia qualis arbor, talis fructus. Persona est peccatrix et caro, quid igitur aliud quā carnalia saperet, uellet, operaretur? Hec doctrina humiles facit, & ueteris Adami arrogantiam retundit.

DE CONFESSIOE,
Doctrina noua.

Can. Oz
mnis utriusque.



Vi ad annos discretionis peruenerit, ad minimum semel in anno tenetur confiteri omnia peccata sua manifesta & occulta, cum singulis circumstantijs, proprio sacerdoti, aut non erit Christianus. Et Episcopus habet potestatem sibi quaedam peccata ob enormitatem reseruandi, in quibus simplex sacerdos absoluerenō potest, nisi in articulo mortis. Sic illi circa distinctionē. 17. & 18. 4.

DOCTRINA VETVS.

Psal. 31.

Luc. 18.

Psal. 31. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Ecce propheta cōfitetur domino, & consequitur remissionē peccatorū suorū. Luc. 18. publicanus dicit: Propitius esto mihi peccatori: & descendit iustificatus

iustificatus in domum suam. Vbi hic circumstantiarum
& occultorum recensio, in aurem sacerdotis? Lu. 7.
 peccatrix nihil loquitur, sed lachrymatur, & humi-
 lis ad pedes Iesu procumbit, & protinus remissionē
 peccatorum adeptā, audit: Vade cum pace. Math. 3.
 ad Ioannem egreditur Hierosolyma, tota Iudaea,
 & tota regio Iordano finitima, & confitentur pecca-
 ta sua: Nimirum generali confessione, eo ipso enim,
 quod poenitentiae signum baptisma petebant, pecca-
 tores se fatebantur, neq; tamē peccatorum ullum au-
 dis catalogum. Idem in Actis legitur factitū, Ephe-
 si ad prædicationem Apostoli. Neq; tamen uspiam au-
 diuntur hæc uocabula, proprius sacerdos, omnia oc-
 culta, omnes circumstantiæ, & similia .1. Ioan. 1. con-
 fessionem habemus, quæ est iuris diuini, qua nos deo
 cordium cognitori submisisse confitemur peccata nos-
 tra, & ipse fidelis est & iustus, ut ea nobis remittat.
Quia humilibus dat gratiam, superbis resistit: prima
Pe. 5. Vbi uera poenitentia est, certe & confessio est,
utpote ueræ poenitentiae fructus.

Lu. 7.

Acto. 19.

1. Joa. 1.

1 Pet. 5.

Confessio autem auricularis non in uniuersum à
 nobis reijcitur, sed additamenta humanarum tradi-
 tionum à sana doctrina, ceu palea à tritico, separan-
 tur. Sana doctrina est, & ius diuinum: Ex ore sacerdo-
 tis legem requirere, ab Episcopis uiam Dei perdisce-
 re, Malach. 2. Agge. 2. 1. Timoth. 3. Titum. 1. Idco
 nolim Ecclesiæ ordinem turbari, qui est 1. Corin. 12.

ubi Apostolus, mystici corporis mentione facta, ostendit Deum in Ecclesia posuisse, primū apostolos, dein prophetas, tertio doctores. Cur doctores in Ecclesia sunt? nimirum ut formam sanorum sermonū habentes, Ecclesiam doceant, quæ scitu necessaria sunt ad salutem, & gladio spiritus, fidei hostibus & omni impietati resistent, ut prædicent sermonem publice, priuatim: Instent tempestiue, intempestiue, aruguant, increpent, exhortentur, cum omni lenitate & doctrina.

2. Tim. 4.

2. Timoth. 4. Agnoscant uultum pecoris sui, & breuiter omnem illum uirtutum concentū absoluant, quem ab ipsis ut speculatoribus domus Israël, Deus exigit apud Ezechielem. 34. Si quæ ad Christianismum pertinent, nō recte percepimus in declamatione publica, adeundus est pastor, ut ex ore eius discamus testimonia & iudicia domini. Si quis conscientijs scrupulus oboritur, quæ iustius quàm pastorem animæ consuluerimus? Deniq; cum pusillanimes sumus, & tentationibus urgemur, ne utiquam negligi debet remediū à domino propositū. Habes uerbū domini,

Mat. 18.
Ioa. 20.

Math. 18. Vbi duo uel tres: & Ioa. 20. Quorū remiseritis, &c. Quem non paterna hæc promissiones ad confitendum alliciant? ubi non humano, sed diuino uerbo, per os hominis prolato, conscientia erigitur, stabiliturq;.

Cæterum additamenta sunt, lege conscientias uincire, & compellere ad confitendum omnia peccata, cum

tum omnibus circumstantijs, præstituto tempore, proprio sacerdoti, qualis qualis tandem ille fuerit. Hinc cauterio notantur conscientie. Nam qui ad modum in confessionalibus præscriptum non fuerit confessus, uel ruditate, uel memoria labili, aut pudore præpeditus, etiam si ipsum uitæ malæ ex corde puduerit, poenitueritq; tamen irrequietam & desperabundam conscientiam secum per omnem uitam circumfert. Quod si adhibita qualicunq; diligentia, uel memoriæ beneficio fretus, uel ex schedula, omnem illam malæ uitæ purulentiam, in aurem Monachi alicuius male auriti, euomuerit, Deum immortalem, quàm gestit, non tam quod legisatisfecit, quàm quod uelut onus Aethna grauius ab humeris excussit. Tum, quasi anxio hoc opere remissionem peccatorum emeruerit, in se confidit, desperaturus, si non hoc pacto peccata recensuisset. Præficient Episcopi confessionibus audiendis speculatores doctos, non truncos, & turmatim confluet populus ad sacerdotem: quod dum ipsi non fecerint, sibi non nobis imputent, si populus pastoris sui negligentior fuerit.

Præterea quod ad casuum reservationes attinet, dicant primates Ecclesie, quare ab apostolicis doctrinis & ritibus tantopere abhorreant. Apud Paulum idem est presbyter qui Episcopus, nec usquam hoc ministrorum discrimen in negotio Euangelij sacræ tradunt literæ. Cum dominus in orbem terrarum emissurus

Presbyter & Episcopus
 idem. apud Paulum.

12 VRB. REGIVS, DE DOCTRINA

esset discipulos, quali eos potestate donat, dicens: Ite in orbem uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit: Marc. 16. Ioan. 20. dicit eis: Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Vbi hic Episcopi & simplicis sacerdotis ullum discrimen? an obscurum est: quid sit illud: Quorum peccata remiseritis? Et hæc est doctrina Christi & apostolorum.

DE SATISFACTIONE,

Doctrina noua.



Pro præteritis peccatis, quædam confidenti satisfactio iuxta peccatorum quantitatem & qualitatem iniungenda est, ut satisfaciatur iustitiæ diuinæ: circa dist. 17. quarti, & 18. Hac doctrina obliteratur gratia redemptionis Christi, & magnificantur opera hominum, in iniuriam passionis dominicæ grauissimam.

DOCTRINA VETVS.

Isa. 53. **F** Sa. 53. Ipse attritus est propter scelera nostra. Pater posuit in eum iniquitatem omnium nostrum. Propter scelus populi mei percussit eum. Hic uides Christum pro peccatis mundi satisfecisse. Item prima
1 Pet. 2. Petri 2. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, super lignum, eius uibice sanati sumus. Item prima
1 Cor. 1. Corinth. 1. Christus est iustitia nostra & redemptio.
Ioan. 10. Ioan. 10. animam suam Christus posuit pro ouibus.
Ro. 5. Roma. 5. Morte Christi reconciliati sumus patri,

non

non satisfactione nostra. Idem habetur Ephe. 1. Col. 1. 2. Christus chirographum quod erat contrarium nobis per decreta, sustulit è medio, suffixum cruci. Prima Ioan. 1. Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato: non dicit satisfactio nostra.

His testimonijs conuincitur, solã Christi mortem pro peccatis totius mundi plenissimã esse satisfactionem, non nostras menstruatas iustitias. Quæ autẽ benignus pater nobis flagella immittit, aut nos manum dei præueniendo, nobisipsis infligimus, disciplinam, uerbera & id genus scripturæ nominibus appellamus. Satisfactionis uox superba est, & Christianis auribus inuisa, quibus illud ex Luca nunquam non intonat: Si omnia fecerimus, serui inutiles sumus. Pudeat lutum & cinerẽ arrogantissimæ illius uocis, satisfacio pro peccatis. Nobis cõfusio, deo nostro iustitia. Si nos nostris operibus aut passionibus satisfacimus pro peccatis, ergo frustra mortuus est Christus.

Et hac doctrina magnificatur gratia reconciliationis, per sanguinem Iesu, & parui fit opus hominis, ad gloriam passionis saluificæ dignissimam.

DE LIBERO ARBITRIO,

Doctrina Noua.



St homini liberum arbitrium, non solum in statu innocentie, sed & lapsus, tantæ etiam num uirtutis, ut faciendo quod in se est, remoueat obicem & impedimentum

Ephe. 1
Col. 1. 2.

1. Isa. 1.

Satisfactio

Luca 17.

Galat. 2.

14 VRB. REGIVS, DE DOCTRINÁ

gratiæ, seq; disponat ad gratiam iustificantem. Et ne homini animali, per se satis ac super elato, suiq; admiratori, deessent arrogantiae fomenta, scripturis perperam intellectis hanc doctrinam confirmare conantur. Eccle. 15. (inquiunt) liberum arbitrium statuitur: ubi deus hominem dicitur reliquisse in manus consilij sui, adiecisse mandata, quæ si uoluerit conseruare, conseruabunt ipsum. Et huc conuerrunt, quicquid ubique in scripturis est legum & admonitionũ: quasi recte colligamus adhunc modum: Deus præcepit ut hoc faciamus, leges uitæ præscripsit, trāsgresso-
ri minatur pœnam. Ergo in nostra potestate est, hoc ipsum facere. Et si uideã primi nominis uiros hoc Ethymemate sibi, in adserendo libero arbitrio, penè uictoriam polliceri, cū interim non uideant, quàm nihil hæc doctrina faciat ad Christi gloriam, quam imprimis quærere oportet. An non ingens doctrinæ $\sigma\kappa\acute{\alpha}\nu\omicron\delta\alpha\lambda\omicron\upsilon$ est, sic docere: Ad merendam primam gratiam gratum facientem, satis est gratia gratis data, aut generalis Dei influentia, cum intellectu recte intelligente, dirigenteq; , & uoluntate conformiter uolente? Quis in semimortuo illo à latronibus relicto, tantum adhuc uiuacitatis & sanitatis sperasset, ut etsi sanare ipse se non possit, pharmacopolæ tamen officinam possit ingredi, neq; ei iumento sit opus, & ostenso morbo, datoq; precio medicamina cōparare? Esto sanè doceant, iustificationem non fieri nostris uiribus
citra

Lucæ 10.

citra gratiam iustificantem, docent tamen initiū pœ-
 nitentiæ in nobis esse, dum prædispositionem ad gra-
 tiam nobis tribuunt, facientibus quod in nobis est, ut
 bono motu ex libertate uoluntatis elicitō, primā gra-
 tiam mereamur de congruo. An non hoc est, primum
 bonū motum tribuere naturæ? Præterea docent homi-
 nem per liberū arbitriū ex puris naturalibus imple-
 re posse præcepta diuina, quo ad actus substantiam,
 & si nō quo ad intentionē præcipientis. Quæ si uera
sunt, peccatori in manu est, resipiscere aut in peccatis
permanere. Quod si tantum potest natura, quid opus
erat gratia? Simples cum ista audiunt, quando unquā
 perdiscent Christū? quando pro ineffabili redemptio-
 nis beneficio gratias agent? Parum abest, quin in hos
 dogmatistas illud Petri torqueam: Dominum qui nos
mercatus est, negant, & de populo dei factitijs uerbis
negociantur. Quando unquam Christus & apostoli
 sic locuti sunt: Meritū congrui, condigni, facere quod
 in se est, liberum arbitriū, uirtus productiua liberi ar-
 bitrij? ~~Euge hec, Christiane uir, tanquam flatū pesti-~~
~~ferum callidi serpentis, quo naturam nostram per se~~
 plus satis elatā, aduersus deum intumescere facit. Has
 bes lector, gustum scholastici dogmatis de libero arbi-
 trio, sibi male constantis. Nam dum scripturis urgen-
 tur, odio Pelagianorum, gratiæ amici uideri uolunt,
 mira tergiuersatione alicubi auxiliū quoddā dei spe-
 ciale uoluntati hominis, tum conanti tum operanti,

2. Petri. 3.

præponentes. Mox ne Manichæis faueant, fortiter ad præclaras illas naturæ suæ vires resiliunt.

DOCTRINA VETVS.

Roma. 14. Omne quod non est ex fide peccatū est. Ergo motus ille bonus liberi arbitrij ante gratiam iustificantem, peccatū est. Quæ igitur amen-
tia est, peccato uelle gratiam emereri? Aut quæ liber-
tas est, ex se bene agere non posse, sed tantum male?
Quæ sanitas est, cadere quidē ex se posse, surgere aut
aut stare nō posse, nisi alterius adminiculo? 2. Cor.
3. sufficiētia nostra ex deo est. Fides iustificat, Roma.
3. Ante fidem homo peccator est & malus, quomodo
igitur bonū motum habebit ex se quem fides nō exci-
tauit? Quomodo spina produxerit uuam?

Matth. 7.

Ioannis 8. Omnis qui facit peccatū, seruus est peccati. 2. Petri 2. à quo quis superatus est, huic etiā in seruitutē addictus est. Ephe. 2. natura sumus filij iræ. Gen. 6. caro sumus: Nisi renascamur, Iohā. 3. 1.

Matth. 7.

Cor. 2. animalis homo non percipit quæ sunt spiritus dei. Quomodo igitur seruus peccati & mancipiū, fili-
us iræ, caro, animalis homo, ante renascentiā in puris
naturalibus, bonos motus ex se habebit? An potest ar-
bor mala bonos fructus parere? Nisi Christi gratia re-
generemur, iuxta imaginem terreni Adam, nihil bo-
ni ferimus, cum non solum pronos ad malum sed ma-
los ἐμφατικῶς ἢ ἐπιτατικῶς, spiritus sanctus
in scripturis nos pronunciet.

Porro

Porro dominus praescribit leges, sed ante quam inferas: Ergo possumus: quorsum alioqui tot praecpta & comminationes? disce magistro Paulo, legem esse cognitionem peccati, non autorem iustitiae. Lex spiritualis est, nos carnales, uenundati sub peccatum. Quare ut legem facias, spiritualis fias oportet: hoc in tuis uiribus non est, sed dei gratia. Quare per legem discis tuam miseriam, qua cognita, urgeris ad Christum legis perfectionem. Non iustificat lex, sed tibi in confusione ostendit, quam sis a debita integritate tua apte culpa remotus. Non ergo sic cogitabis: Legem habeo bonam, quid insuper opus est, praeter meam industriam? Cognosco bonum, ratio dictabit rectum, admodum liam manus, & actibus meis elicitis & imperatis iustificabor. Non sic impij, non sic. Arrige aures ad scripturae oracula, & retundetur spiritus ille Pharisaeicus. Praesumebant Israelitae, proposita lege, se omnia facturos, uelata Moysi facie contuentes. Sed audiunt Deut. 5. Quis det eos talem habere mentem, ut timeant me, & custodiant mandata mea? Certe a timore & amore iustificatio incipit. Sed uides eos timorem domini non habere, neque talem mentem quae bonum facere ex se possit. Ideo Deut. 30. dicit Moyses: Dominus circuncidet cor tuum. Et Ezech. 11. Auferam cor lapideum. Et Ioan. 6. Nemo uenit ad me, &c. Quare per legem discite uestrum debitum, o hypocrite, impotentiam & poenas. Et cum senseritis manus Moysi graues.

Rom. 3.

Rom. 7.

Galat. 3.

Lex data in
die carnis de
bitum nostrum

Lex omnino non iustificat
sed solummodo ex ea delictum
non diffinitur

Augustinus

ad eū properate toto corde, qui Rom. 8. legis impletor describitur, & Math. II. oneratis animarū requiē pollicetur. Dū enim facimus quod in nobis est, (malæ arboris malos fructus proferimus) id est, peccamus. Qualis enim quisq; est, talia cogitat, loquitur et facit: atqui caro sumus, carnalia igitur sapimus. Quin cum Augustino de uera innocentia fatemur? Cū homo secundū se uiuit, non secundū deum, similis est diabolo, quia nec angelo secundū angelū, sed secundū deum uiuendū fuit, ut staret in ueritate. Nemo habet de suo, nisi peccatū & mendaciū: si quid autē homo habet ueritatis atque iustitiæ, ab illo fonte habet qui est Christus: hoc autem quod largitore deo habemus, pendet ex dei potestate, non nostra facultate.

Li

Expende autē in primis mihi uerba spiritus, Ro. 9. ubi suos, uasa misericordiæ appellat. Et Rom. 8. filij dei, spiritu dei aguntur. Et Esa. 26. Domine, omnia opera nostra operatus es nobis. Agnosce igitur te fragmentū formatoris omnipotentis, conditū in Christo Iesu ad opera bona, quæ preparauit (nota quæ preparauit) deus ut in eis ambularemus. Eph. 2. Quare qd' inspirationi diuinæ consentis, quod bonū uelle habes, quod bene operaris, hæc oīa in te operatur gratia dei. Tu quidē consentis, uis, operaris: sed Deus te facit cōsentire, uelle, operari, ut iure optimo illud obseruari oculis semper debeat: Quid habes quod non accepisti, quod si accepisti, quid gloriaris quasi nō acceperis?

1. Cor. 4.

reperis? 1. Corin. 4. Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloria. En tibi seruū arbitriū. Sed si filius te liberauerit, uere liber eris. Ioan. 8. Per Christum enim liberamur à peccato, ut seruiamus iustitia. Roman. 6.

DE FIDE ET OPERIBVS,

Doctrina noua.

Non sola fides iustificat, iustificat etiā opera, & fides potest subsistere sine bonis fructibus ac gratia iustificāte, in homine dei mandatorū trāsgressore. Duplex igitur iustitia ad salutē necessaria est, scilicet fidei & operū. Altera absq; altera, nisi desit facultas, nō saluat.

DOCTRINA VETVS.

Rom. tertio: Arbitramur iustificari hominem absq; operibus legis. Vbi Apostolus non opinatur, ut quidam male intelligunt. Sic enim habet Græca ueritas, λογισόμεθα οὐρ, id est, reputamus siue colligimus. Nam Theophylactus interpretatur συλλογισόμεθα, uelut hoc iam argumentando colligerit. Quare opera non iustificat, sed fides. Neque hoc meum somnium est, sed purissima doctrina spiritus sancti, Rom. 3. & 4. ubi Apostolus de Abrahamo iustificato ex scripturis differens, fidem nobis pro iustitia imputari manifestissime concludit. Si (inquit) Abrahamā ex operibus iustificatus fuit, habet qd̄ gloriatur, at non apud deū. Quid enim scriptura dicit

Sola fides super eos corroborare potest.

20 VRB. REGIVS, DE DOCTRINA

- Gen. 15. cit? Credidit Abraham deo, & imputatum est ei ad
Ro. 4. iustitiam. Et in fine quarti capituli adserit, non scriptum
esse, propter illum tantum imputatum fuisse illi, sed
etiam, propter nos quibus imputabitur. Neque hic
opera legis ceremonialia tantum intelligit, sed & de-
calogi, id quod palam fit. Roma. 3. Cum ex operibus
legis non iustificari quenkum dixisset, mox subdit:
Ro. 3. Per legem enim agnitio peccati: quae clausula satis osten-
dit, de cuius legis operibus loquatur. Iam si opera quo-
que nostra iustificat, dimidiam salutem Christus pra-
Ro. 3. stat, & quot erunt iustificatores? Est autem unus dun-
taxat iustificator & saluator, nempe Christus, per
quem iustificamur gratis, per ipsius gratiam. Rom. 3.
Non ergo iustificat opera, sed fides in Christum, non
Gal. 5. illa quam scholae uocant informem, sed uera illa & ui-
ua, per charitatem operans. Galat. 5. Sicut autem iu-
stificamur coram Deo, fide, quae est uera iustificatio,
ita coram hominibus, qui uident in facie, iustificamur
ex operibus, id est, iusti cognoscimur per fructus bo-
norum operum, qua de re intelligenda sunt uerba apo-
stoli Iacobi: ut Paulinam disputationem, de fide & ope-
ribus, intuenti, nihil obscurum sit, cur solam fidem dica-
mus iustificare. Non enim fidem, charitatis expertem,
Tit. 3. uocabulo SOLA fingimus, sed opera ostendimus, non
esse principia iustificationis. Saluamur quoque non
operibus (Titum tertio) sed secundum misericordiam
dei per lauacrum regenerationis, ac renouationis spi-
ritus

ritus sancti, ne quis gloriatur in homine. Per hanc doctrinam non prohibentur bona opera, sed bonorum operum autor, fides formata, docetur, & gratia tribuitur quod ei debetur. Per doctrinam nouam scholarum, pars gloriae nobis adscribitur, quod quam sit blasphemum, probe norunt Christifideles.

Vetus itaque doctrina non tollit opera, sed ea suo loco reponit, ut fidei testimonia sint, subigant carnem, seruiantque proximo, at non ut iustificent, cum sola fides ex mera dei misericordia, per Christum in uerbo eius, hominem iustificet. Persona autem iustificata, iuste operatur, nec tamen operum iustitiam ad salutem necessariam iactat, ne propriam iustitiam quaerens constituere, iustitiam dei, hoc est, fidem amittat. Rom. 10. Et fatetur, id quod res est, operum suorum iustitiam menstruatam panno persimilem, cum Iesaja 64. sequitur seruum inutilem. Quae una ad ueram iustitiam perueniendi ratio est: nempe ubi sedulo quidem operaris, in omnibus tamen operibus peccatorem te humiliter confessus, ad solam mediatoris gratiam confugeris, preciumque redemptionis nostrae magni feceris. Nam si iustitia operum nostrorum aliquid est, salutem nostram mors Christi ex integro non operata esset, quod est blasphemum. Statque Paulinum εὐθύμματα in conuulsum. Si per legem est iustitia, igitur Christus frustra mortuus est: Christus autem non est frustra mortuus, ergo iustitia operum uel legis frustra iactatur.

VRB. REGIVS, DE DOCTRINA
DE MERITO,
Doctrina noua.



Vm facimus quod in nobis est, eliciendo bonum motum in deum ex arbitrij libertate, primam gratiam meremur de congruo, licet non de condigno. Item anima informata gratia per actum, à uoluntate simul & gratia elicited, de condigno meretur eternã uitam. En Christiane lector, ubi carnalis sapientia audierit, tantum se posse, ut bonum motum in deum ui naturalium bonorum queat elicere, eoq; mereri, nonne cristas eriget, & in pharisaismum incidet? sibiq; tribuet quæ solius gratiæ sunt. Quod nihil aliud est, quàm filium dei conculcare, & sanguinem testamenti ceu rem prophanam habere, per quæ sumus sanctificati. Præterea sui admiratrix natura, his inflata doctrinis, in fiduciam operum perducta est. Audiens enim & uoluntatē nostram partim mereri uitã eternã actibus elicited, conabitur merita congerere, quibus affluentibus, sperabit: deficientibus, desperabit: quo errore mortis Christi dignitas & meritum obscurantur, & conscientia in arenam operum ædificatur, ad omnem tentationis tempestatem certissime ruitura.

DOCTRINA VETVS.

Secunda Timoth. 1. Deus nos saluos fecit, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum

situm & gratiam, quæ data est nobis ante tempora
æterna. Idem ad Titum tertio.

Ephe. 2. Gratia seruati estis per fidem, idq; nõ ex
uobis. Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorie
tur. Hic scriptura rationem meriti operibus nostris
adimit, & gratiæ tribuit quod saluamur. Nam quod
dicit: non secundum opera nostra. item: non ex uobis:
nimirum actum illum à uoluntate elicitum penitus non
admittit in gloriam saluationis aut meriti. Christus
meruit nobis omnia per sanguinem suum. Nos autem
iustificamur gratis, Rom. 3. Nõ nostros sed Christi su-
dore parta est hæreditas. Fides in Christum facit filia-
os, igitur & hæredes, ergo non opera.

Romanis 4. Ei qui operatur, merces non imputa-
tur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei qui
non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium,
imputatur sua fides ad iustitiã. Rom. 8. Nam repu-
to non esse pares afflictiones præsentis temporis, ad
gloriã quæ reuelabitur erga nos. Lu. 7. Cum fece-
ritis quæcũq; præcepta sunt uobis, dicite: serui inuti-
les sumus. Iesa. 64. Quasi pannus menstruatae uniuersa
sunt iustitiæ nostræ.

Prima Corin. 4. Quid habes quod non accepisti:
Ro. 11. Quis prior dedit ei & retribuetur? Philip.
2. Deus operatur in nobis, uelle & perficere. Quod
si deus in nobis bonum operatur, quid inde nostris ui-
uis arrogamus? Si & nos meremur beatitudinem,

cur scriptura gratiam uocat? Non itaque meritis nostris, sed solius Christi operibus & meritis saluamur.

Quod autē aliquoties scriptura mercedis meminit, non est quod hinc quisquam possit aut debeat intus mescere. Fides enim per charitatem operans, est donum dei, opera bona sunt dona dei, ut si quid retribuat deus, non nostra sed sua in nobis opera coronare intelligatur. Tu uero si quid hinc tibi arrogaueris, cum impijs pharisæis non recipies mercedem gloriæ, sed gehennæ supplicia senties.

Hæc cum ita sint, facile iudicabitur, uter rectius doceat. Ego cum Apostolo ad opera uere bona quæ in fide fiunt, nunquam non cohortor, ubiq; cauens, ne in se ob id confidat homo, & cū pharisæo reprobetur. Illi sic ad opera extimulāt, ut ijs simul spem salutis & meriti rationem affigant, quo fit ut opinione peruersa iustificandi, per ea & saluandi, illa passim fiant. Nos gratiam dei non aspernantes, & solius gratiæ docemus esse quod saluamur, & conscientias non super opera, sed super petram Christum ædificamus, contra quam non præualent portæ inferorū, & Euangeliū illud consolantissimū perpetuo inculcamus. Ex fide datur hæreditas, ut secundum gratiam, ut firma sit promissio. Iustificati ex fide, pacem habemus erga deum, per Christum. Rom. 4. 5.

DE



Concupiscentia quæ à baptismo remanet in homine, lex membrorum, infirmitas, mala ualetudo, non est peccatū, nec mortale, nec ueniale, & post baptismū non originale, sed est poena peccati, parit autē peccatum. Hæc opinio hominē baptisatū reddit ad militandum contra carnem pigrū & oscitantem, ut qui se sanum & uelut in tuto collocatum arbitratur.

In 2. sentē.
dist. 30. 31.
& 32.

DOCTRINA VETVS.

Concupiscentia, quæ se malis fructibus in homine etiam baptisato prodit, in se peccatum est. Rom. 7. Hic loquitur Apostolus: Nunc autē non iam ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum. Hic non loquitur Apostolus in persona impiorum, impij enim non consentiunt legi, non seruiunt mente legi dei. Aliquando Augustinus erat in hac sententia, Apostolum in persona malorum hæc dixisse. Cæterū in Retractat. & contra Iulianum ita reuocat hanc opinionem, ut neget à se tum fuisse intellectum Apostolum, cum ita sentiret. Iam qui ita loquitur & baptisatus erat & electum dei organum, conqueritur tamen de concupiscentia post baptismum, & peccatum uocat: dicant igitur scholæ, an Apostolus qui concupiscentiam illam, fructus, nisi reprimatur, malos proferentem, recte uocet peccatum, imò an spiritus sanctus

Augustinus.

non errarit in uocabulo. Certe. I Cor. 14. Apostolus gratias agit deo, quod magis quam omnes Corinthij, linguis loqueretur. Nouit igitur tantus Apostolus, quibus uerbis concupiscentiam proprie uocaret, illi loquendi modum cum imitamur, uelut heretici explo- dimur ab his qui cause tantarum rerum parum ad- sciuntur, modo ipsi in mundo triumphent, & pacem habeant. Veritas igitur habet, concupiscentiam, que eosdem fructus parit post baptismum quos produxe- rat ante, appellari peccatum. Sicut Apostolus bap- tizatos hortatur, Rom. 6. ne regnet peccatum in morta- li uestro corpore: non dicit concupiscentia, sed pecca- tum. Sic enim habet Græca ueritas, μή οὖν βασίς λευέτω ἡ ἁμαρτία, non ἡ ἐπιθυμία. Ad hæc, nes- mo ignorat, lege cognosci peccatum, hæc autem con- cupiscentia lege prohibetur, est igitur peccatum. In- firmitates certe & pœnæ sub præcepto non cadunt. Et notum est quod dicit Apostolus, Rom. 7. Peccatum non cognoui nisi per legem. Nam & concupiscentiam non nouisse nisi lex dixisset, non concupisces. Et mox peccatum appellat. Nisi quod hoc est discrimen, ante baptismum aquæ & spiritus, concupiscentia illa erat peccatum regnans, post lauacrum regenerationis est peccatum uictum: est quidem natura sua malum, sed uere regeneratus non ambulans secundum carnem, spiritu gratiæ, peccatum illud refrenat ne dominetur, ut nihil damnationis sit Christo insitis, Roman. 8.

Exod. 10.

Non

Nō enim imputatur ei ad damnationem, propter spiritum carni reluctantem. Id quod his uerbis Augustinus conclusit: Remittitur in baptismo uniuersum peccatum, non ut non sit, sed ut non imputetur. Nunc iudica lector, uter nostrum uerius loquatur. Qui uetus hoc fermentum malitiæ sic extenuat, ut infirmitas lam duntaxat uocent, quæ ne ueniale quidem peccatum sit, gratiam Christi ignorant, imò blasphemant: nos qui exaggeramus, idq; ex uero, ut quod modis omnibus magnum sit, magnaq; dei gratia opus habeat, sanguinem Christi quo expiatur omne peccatum, grata pietate magni facimus, ut humiles confessores malorum gratiam inueniamus in oculis iusti iudicis Dei.

DE DIVORVM CVLTV,

Doctrina noua.



Non solus Christus est mediator noster, sed & sancti qui cum Christo regnant in caelis: quare inuocandi sunt tanquam mediatores intercessionis, qui multa bona nobis impetrant. Dominus partito regno suo, dimidium regni, id est, misericordiam sanctis comisit, mundo dispertiendam: alteram partem, nempe iudiciū sibi reseruauit. Apud principē quippiā confecturus, deligit sibi primæ autoritatis uirū, cuius intuitu impetret quod petit, qui repulsam pateretur si solus accederet.

Maria mater dei, si caput antiqui serpentis cōtriuit, cur nō foret mediatrix generis humani? Beata igitur Maria & sancti sunt nostræ salutis cooperatores. Beata uirgo est collum, Christus est caput, nos membra: nihil à capite in membra influit charismatum, nisi per Mariam ut collum. Ad hoc faciūt miracula. Quoties enim ad sanctorum monumenta sanati sunt uarijs morbis laborantes?

DOCTRINA VETVS.

Peccator solus comparere in conspectu dei non potest, quia deus noster ignis consumens est, Heb. 13. nisi per mediatorem fuerit adductus, propter cuius merita ad peccatoris delicta conuiueatur. Mediator ille Christus est. 1. Timothei 2. Hebre. 9. Rom. 8. Nostra propiciatio, 1. Ioannis 2. Nostra iustitia. 1. Corin. 1. Noster sacerdos in æternū, Psal. 109. Heb. 4. 5. 7. 8. 9. 10.

Christus non est formidabilis iudex fidelibus, sed aduocatus, oneratos ad se uocans, Math. 11. Tam incomparabilis misericordie, ut animam dederit pro ouibus, Ioan. 10. Math. 20. Tantum abest ut ceu iudicem, propter peccata, Christum debeamus exhorere, ut ob hoc maxime hunc thronum gratiæ debeamus accedere, quod peccatores sumus, ut à peccatis nostris liberemur. ipse enim est agnus tollens peccata mundi. Venit in hunc mundum non ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Medicum non timet

Luce. 5.

Matth. 9.

met

met egrotus, sed hoc magis eum suspirat & libentius adit, quo est infirmior. Scilicet qui pro nobis mortuus est, cū adhuc essemus peccatores, Rom. 5. iam mutata fronte nō potest nisi minitari & trucidare, ut ad placandū eum homine opus sit intercessore. O indignam Christiano cogitationē, & carnale somnium. Quam nihil sapit hoc hominū genus in arcanis literis? Quis pro nobis mortuus est? num Stephanus aut Petrus? nōne Christus, idq; ex ineffabili charitate? Maiorem hac (inquit Ioan. 15.) dilectionem habet nemo, ut quis animā suam ponat pro amicis suis. Et nos in tanta charitate etiamnum somniamus, Christū esse horribilem tyrannū, qui misellū peccatorē, medico egentem, nisi sancto quopiam comitatus adcesserit, protinus sit crudeli uultu repulsurus & tortoribus traditurus. Sic honoramus filium dei, qui pro nobis humiliatus est usque ad mortem crucis, ut uerbis eius non credentes, cum dicit: Venite ad me, reficiam uos: Ego sum uia, ego pono animam pro ouibus: audeamus uelut mendacij reum agere & dicere: Inania uerba sunt quæ dicis. Misericordiā cōmisisti sanctis, tu non potes nisi minari & perdere fontes, ad sanctū aliquem conuertar, qui mihi apud te sit patronus. An non hæc sunt impia? Sed sic sentiunt, qui sanctissimi haberi cupiūt, et nos causa incognita damnāt hæreseos.

In nomine Christi iubet scriptura petere, quibus nobis est opus, Ioan. 16. non in nomine diuorum. In

Phil. 2.

Ioan. 14.

nullo alio nomine reconciliatio & salus. Act. 4. Christi sacerdotium est æternū. Et apostolus dicit eum ad dextrā patris residentē, intercedere pro nobis. Ipse est unica ad patrem uia, Ioan. 14. Per ipsum habemus aditū ad patrē. Ephe. 2. Per eū habemus audaciā & aditū cum fiducia, quæ est per fidē illius. Ephe. 3. Qui est spes nostra. 1. Timoth. 1. Qui uenit ut peccatores saluos faceret. 1. Timoth. 1. Qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac uictimam deo. Ephe. 5. Et nos inter tot igneæ charitatis et mære misericordiæ præconia, non dū didicimus eo fide re qui noster reconciliator est: tam benignus, ut pro nobis peccatum fieri non sit dedignatus, quo nos iustitia dei efficeremur per ipsum: tam potens, ut qui in eū credunt, non pudefiant, Romanis. 9.

Porro quæ in laudem uirginis matris illi occinūt, uirginea mater non agnoscit. Qua fronte obsecro scripturæ deprauatores audēt hoc tribuere matri, quod spiritus sanctus de filio uaticinatus est? Gen. 3. Ipse enim nō ipsa conterit serpentis caput: ut plane nesciā rusticā ne hanc inscitiā magis admirari in Rabbiniis illis debeam, an detestari impiā de Christo opinionē: adeo nihil pensi habent quid dicant, sed tantū curant ne nihil dicant. Et quemadmodum olim Epicuræi & Stoici nō secus agere deum, nec aliā habere subsistentiam, contendebant, quā sicut ipsi de eo cogitabant, & uanissimis opinionum cōmentis, dei naturam depingebant:

pingebant: ita nostri pseudotheologi, Christum imaginantur, translata in sanctos misericordia, ceu horrendū iudicem, tantū dānare reos, nisi alicuius sancti intercessu leniatur, placetq; imaginatio, & sic iubent credere Ecclesiā. Tū beatam uirginem collū faciunt corporis mystici: risum teneatis amici. Extra scripturam è cerebro suo fabricāt fidei articulos, & cū scripturis sit unice hærendū, aniles fabulas pro cōpertis & solidis proferūt: diuina omnia rationis nostræ perpendiculo, & huius seculi parabolis metiuntur. Et cū non minus impie q̄ inscite nugentur, non tamen dubitant Vulcano deuouere, quotquot nō ineptiunt cū ineptis. Atq; ut omnes numeros pseudodoctorū absoluant, scripturæ testimonia ad suos errores firmandos detorquet, de qua re fusissime in locis nostris coibus.

Cæterum, ne quis putet hæc à nobis dici in sanctorum contumeliam, sic sentimus, honorandos esse sanctos, sed ex scripturarum regula. Cum enim gloriosa mystici corporis membra sint, & domestici dei, firmissimo nobis charitatis uinculo sunt conglutinati. Nā charitas non disperit, sed cōsummatur in patria, qua fit ut nos diligant, nostri conuersionem fraterna dilectione cupiant. Ideo sacrosancta nobis eorum memoria esto, in quibus dei sapientiā, bonitatem & potentiā, ac illas inenarrabiles misericordie diuitias intueri licet, ad fidei, spei & charitatis nostræ exercitiū. Quoties enim recordamur strenuæ coris

1. Cor. 13.

pugnæ aduersus portas inferorum, & multiformis gratiæ dei, qua ille pater omnis cōsolationis sua istæc uasa misericordiæ largiter persudit, in spem erigimur & fiduciam tantæ bonitatis. Et propositis eorum uirtutibus, uelut incitamentis acerrimis, ad imitationem tantæ perseuerantiæ extimulamur. Quis enim piorū non uotis omnibus postularit, ut tanto fidei robore, quanto communiti erant sancti, possit salutis nostræ hostes debellare, ut tandem deuictis hostibus, electis dei in sempiternū coniungatur? Cumq; uideat ex filijs iræ & massa perditionis, tam præclara gloriæ uasa fieri, non humanis meritis, sed gratiæ diuinæ potentia, nimirum fiduciam concipiet tam misericordis patris, qui, quos non dignos inuenit, ipse facit. Hic si dominum oramus pro fide, spe & charitate, & regnum dei ante omnia quærimus, ut sanctorum uestigijs insistere liceat, quàm optime uenerati sumus diuos. Vna est uoluntas sanctorum & dei: quid igitur aliud petierint quàm peccatoris resipiscentiam, & iugem in nobis legis dei meditationem?

Verum ut ad eos in necessitatibus nostris supplices confugiamus, quo medient inter nos & deum, nec ipsi postulant, quippe qui nihil aliud quàm gloriam dei quæerunt, nec nos absque iniuria perfectissimi & sufficientissimi mediatoris Christi facere id ipsum poterimus. Iam cū scriptura sit lucerna nostra in huius seculi densissima nocte, multo tutiores nos sumus, qui
Deum

Deum inuocamus per Christum, quod scriptura iubent, quàm illi qui nouas dulas confingunt, quarum non meminit scriptura.

Inuoca me (inquit dominus) in die tribulationis & eruam te, & honorificabis me: Psal. 49. Et Ioëlis

2. Quisquis inuocauerit nomen domini, saluus erit. Rom. 10.

Neq; hic moramur temporis diuturnitatē aut cōsuetudines, siquidem Christianismus non temporum curriculis aut rituum antiquitate constat, sed scripturis æternæ ueritatis. Nūc lector iudica quales Christiani sint, qui non in Christū sed in creaturas figunt spes suas, quicquid nobis in Christo sit præsidij, ignorantes. Parum abest quin idololatræ fiant, & dum impensissime student sanctorum honoribus, enormissime eos inhonorant, quādo spem & fiduciam, quæ uni debetur deo, in creaturas transferunt. Quod autem ad miracula attinet, legatur 24. Matth. & secundū secundæ ad Thes. & conquiescet animus.

DE COENA DOMINI,

Doctrina noua.



Acramentum altaris sub utraq; specie solis sacerdotibus dandū est: laicis sub specie panis tantum, quod sub utraq; specie naturali quadam concomitantia sit totus Christus, iuxta illud, caro cibus, sanguis potus, manet Christus tamen totus sub utraque specie. Laicus quotannis semel cōmunicet iuxta cap. Ois utriusq;.

Missasacerdotis, est sacrificiū pro uiuis & mortuis, nec fructum impedit ministri personalis malitia, cū ex opere operato uim habeat missa, & in persona Ecclesie fiat oblatio: qua de causa est maximi meriti, qua nobis et alijs meremur. Hinc bonæ sunt Missarum institutiones, utiles anniuersarij. In alijs enim operibus bonis personalis malitia operi adimit rationem meriti. Hic nihil obstat, cum Ecclesie fides spectetur, non personæ dignitas. Corollariū. Homo impius habita duntaxat intentiōe debita, etsi deo perse sit abominabilis, hic tamen quia personam Ecclesie gerit, ipse damnabilis & peccator manens, alijs meretur peccatorum remissionem, & uitam æternam. Hæc illi.

DOCTRINA VETVS.

Apostolus prima Cor. 11. cœnam dominicam instructurus, à domino se accepisse scripsit, quod Corinthijs tradidit. Cumq; cœnæ negociū exponit, utranq; speciem præbet indiscriminatim omnibus fratribus. Quemadmodum & Christus instituit Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Hic habemus uerbum & factum domini, & ministri eius Pauli, deniq; primitiue Ecclesie, in qua etiamnum fides uiuidior, charitas seruētior, spesq; firmior, & in uniuersum Christianismus purior erat, quippe fonti pximior. Quod si non licet uerbum & factum saluatoris seruare, in re præsertim magna, nempe sacramēto, ad quid scriptura prope

ra proponitur Ecclesie dei? An nō & Neoterici scri-
 pserūt, ut Gerson, doctrinas ab Euangelistis & Paulo Gerson,
 datas, nec à Papa, nec cōcilio: imò nec ab Ecclesia posse
 se aut debere mutari? Quod si in Sacramentis Eccle-
 siæ, cui libet potestas est mutare, quæ docuit seruanda
 Christus, docuerunt & seruarunt apostoli: obsecro,
 quæ tandem erit Ecclesie conditio, quæ credere coge-
 tur, Christū patris sapientiam, & apostolos ea dor-
 mitantia docuisse Christianismum, ut per successo-
 res sarcindū fuerit quod ipsi neglexerunt? Num Sa-
 raceni, Arabes & Agareni, quos Turcas uocamus,
 patientur, ut quis eorum Alkoran ad eum modū pro-
 libidine mutet, nunc deroget, nūc penitus abroget &
 corrigat, quod eorum legislator minus prouide scri-
 pserit? & nos Christiani, nisi scripturas perueriti, ob-
 scurari & mutilari, imò reijci penitus patiamur, tan-
 quam Ecclesie hostes proscribimur, & perdimur?
 Sed sint hæc toleranda, quis ferat è memoriali mortis
 uiuificæ, ociosorum nundinationem fieri, qua sacrifici-
 um è missa faciunt, Christum denuo, quantum in ipsis
 est, crucifigentes? Nam si ipsi sacrificio quotidiano,
 ut ferunt, quotidianorum remissionem peccatorum
 operantur, quæ tandem peccata sanguis noui & eter-
 ni testamenti in cruce sustulit? Est igitur hæc fides no-
 stra, & catholica de cœna domini.

I Cœna domini ad præscriptum Christi, prima
 Cor. 11. peragi debet, ut iugi dominicæ mortis recora-

datione, nostra fides augeatur, accendatur charitas, roboretur spes, nosq; cognita preciosissimæ mortis causa, magis magisq; ad gratiarum actionem, pro inenarrabili dilectione, ad abolendum corpus peccati, & ambulandum in vitæ nouitate, urgeamur.

2 Est igitur Cœna domini, salutiferæ mortis Christi memoriale, non sacrificium, sed sacrificij semel in cruce facti recordatio.

3 Promissio est, psal. 109. Christum fore pontificem nostrum, in æternum à patre constituendum: hæc præstita est, semel enim ingressus est in sancta, per unicam & in perpetuum consummantem oblationem, Heb. nono & decimo, ut nihil opus sit denuo illum pro nobis offerri, qui non amplius moritur.

Rom. 6.

4 Nouimus ex Leuit. Mosi oblationem pro peccatis fieri, ubi uictima satisfacit, sanguis abluit. Quare si una hæc oblatio, qua se Christus obtulit, satisfacit pro peccatis totius mundi, iuxta Iesa. 53. Ipse iniquitates nostras portauit, propter scelera nostra attritus est, & 1. Ioan. 2. Ipse propiciatio, & c: consequitur frustraneas esse plures oblationes quas ipsi prætedunt.

5 Imò nouam oblationem erigere, est priorem paruipendere, deum mendacij arguere, & Christum qui nos mercatus est, iuxta uerba Petri, 2. Petri 2. abnegare. Cum enim dicant, in Missali sacrificio remitti peccata, cū pro uiuis & mortuis offeratur filius dei per sacerdotes, consequitur ipsorum opinione, unicū

illud

illud crucis sacrificium pro omnibus peccatis non satisfecisse, quod quid aliud est, quàm dominū cuius precioso sanguine, non caducis rebus, auro & argento, redempti sumus, abnegare, dum nostris Missis tribuimus, quod uniuersa scriptura tribuit morti domini nostri Iesu Christi. 1. Pet. 1.

6 Neq; tamen hac ipsa cœnæ communionem remitti peccata adserimus. Sed cum recordamur fide uera & grata beneficium redemptionis, quo filius dei corpus suum tradidit uictimam pro peccatis, & sanguinem fudit ad abluenda peccata, hac fide iustificamur, & remissionem peccatorum, morte Christi partam, consequimur. Et hoc est opiparum animarum conuiuium, cuius qui non erunt participes, peribunt, sicut Ioan. 6 ait: Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Hanc carnem filij hominis nisi ederimus, & sanguinem eius biberimus, non habebimus uitam in nobis, sed peribimus. Est enim panis uitæ, dans uitam mundo, quem edere, est in Christum credere. Sicut ait: Ego sum panis uitæ, qui uenit ad me non esuriet, & qui credit in me, nō sitiet unquam. Amen, amen dico uobis, qui confidit mihi, habet uitā æternam. Nam sicut pane materiali pascitur corpus, ita hoc cœlesti pane reficitur & uiuit anima. Quando enim anima credit Christum esse precium redemptionis nostræ, nostram satisfactionē & iustitiā, hac

fide edit carnē, bibit sanguinē: & pro uerbis Christi, Ioan. 6. esu tam salutari uiuet in æternū. Tanta sunt quæ circa domini mensam commemorantur. Faxit Christus, ut hæc eius ceremonia pristinae integritati restituatur, ut nos qui corpus Christi sumus capitis nostri, charitatis erga nos diuinæ in cœna admoniti, uicissim indissolubili dilectionis glutino, ut membra addecet, coalescamus, gregem Christi excommunicationis cribro purgantes, & simul carnem Christi uere manducemus, hoc est, credamus in Christum crucifixum, & inseramur ei per similitudinē mortis eius, ut & resurrectionis gloriose participes in illo efficiamur, Amen.

DE CIBORVM DELECTV,

Doctrina noua.



Non licet quolibet die quibuslibet uesci: si quidem necessariū est, ut sexta & septima septimanae, quatuor angariae tēporibus, & per quadragesimam ab esu carniū abstineamus. Qui secus fecerit, citra diploma pontificium, aut supplices libellos legatorum sedis Romanæ, peccabit, male Christianus, imò impius censebitur.

DOCTRINA VETVS.

In lege ueteri Leuit. undecimo, & Deut. 14. ciborum delectus Iudæis sub Mose præscribitur, ut ipsis non liceret uesci quibuslibet: nos autem qui iubemur in libertate, in quam nos Christus adseruit, stare,

stare, nec rursus iugo seruitutis submittere colla, quid Galat. 5.
Christus magister & dominus noster dixerit, atten-
damus.

Matth. 15. Audite & intelligite: Non quod ingre-
ditur in os impurat hominem, sed quod egreditur ex
ore, hoc impurum reddit hominem. Hæc Christi uers-
ba tollunt delectum ciborum, ut carnibus uel piscibus
uesci liceat in nouo testamento citra peccatum.

1. Timoth. 4. Doctrinas demoniorum uocat spi-
ritus sanctus, prohibere cibos & nuptias. Cibos enim
creauit deus ad sumendum cum gratiarum actione fi-
delibus, & his qui cognorunt ueritatem, quod quic-
quid creauit deus bonum sit, & nihil reijciendum si
cum gratiarum actione sumatur, sanctificatur enim
per sermonem dei ac precationem. Hoc uno Aposto-
li textu funditus eradicatur, quicquid de ciborum di-
scrimine hætenus docuerunt & præceperunt homi-
nes. Nam spiritus sanctus doctrinas demoniorum uo-
cat, quibus nemo, citra salutis iacturã, obedierit. Nec
quenquam moueat, quod Hieronymus hæc aduersus Hierony.
Tacianos & Marcionitas detorquet. Indubitatũ est,
his spiritus sancti uerbis conscientias nostras, à tradi-
tionibus de ciborum delectu, esse liberatas. Quisquis
igitur siue Marcion, siue nostri seculi homo præcepto
alligat, quod Christus liberum esse uoluit, hoc textu
reprobatur, tanquam deo ingratus & bonæ creatu-
re contemptor.

Coloss. 2. Ne quis uos iudicet in cibo aut potu. Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mundo, decretis tenemini? Pugnatur hic textus manifeste contra humanarum traditionum prædicatores, qui hominum conscientias diuerxant præceptis humanis de ciborum discrimine. Quãuis enim hoc contra Iudæorum obseruationes dictum sit, omnes tamen hominum de hac re traditiones conuellit. Nam si Mosi lex ea de re abrogatur, quæ à deo olim lata est, quanto iustius hominum constitutiones repelluntur, quibus illi Psychotyranni regnum in hominum conscientia adfectant.

Gal. 1. Si quis uobis prædicarit Euangelium, præter id quod accepistis, anathema sit. Quicquid itaque contra & præter Christi Euangelium obligãdis conscientijs obtruditur, sententia spiritus sancti anathema est, quare à nobis manibus & pedibus auersandũ.

Titum. 1. Redarguito illos seueriter, ut sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis & præceptis hominum, auersantium ueritatẽ. Omnia quidem pura puris, porrò pollutis & infidelibus nihil est purũ, sed polluta est illorum mens & conscientia. Quis non horreat ea præcepta quæ auersantur ueritatẽ? atqui spiritus sanctus hoc titulo cohonestat huiusmodi hominum traditiones, quibus mentiũ seductores conantur conscientias uincire, ubi non uincit deus.

Hic nihil moror magnificos illos abstinentiæ præcones,

cones, qui me, ut olim Iovinianum Hieronymus, Christianorum Epicurum nominabunt, quasi gulæ frenâ relaxem. Nam ut taceam quod ipsi phasides aues, & quicquid uspiam exquisitiorum lauticiarum excogitatur, uorant, & pleno uentre de ieiunijs disputant, quæso quid hic præter spiritus sancti sententias protulerit? Non doceo abusum, sed usum creaturarum dei, cū gratiarum actione, & non tam de uentre quàm conscientia mihi sollicitudo incumbit. His enim deuterisibus, cauterio notantur conscientia, & timetur deus mandatis hominum, id quod apud Iesaiam 29. ipse abominatur. Non parui periculi res est, cōscientijs laqueos ponere, & in Christianam libertatem peccare, quæ tanto constat. Quod si quis Hieronymum aut alios patres obiecerit, respondeo, patres nunquam ea fuisse cecitate, ut sibi magis quàm scripturis credi uouerint. Non contemnit patres, qui patrem omnium in caelis glorificare conatur. Qui in re conscientiarū deo magis quàm homini obediendum censet, non contemnit homines, sed deum magnificat, hominum atq; angelorum dominum. Et alio loco Christianorum conditio est, quàm ut uiuendi normā uel à Iouis uatibus, qui carnibus & coctis cibis abstinebāt, uel à tem
 Contra Ioplo Eleusine aut Orpheo accipere debeant, nec tamē uinianum, pudet uirum sanctum in suo monachismo tot inaniū lib. 2. uerborum.

Quod ad scandalum attinet, docui semper, iuxta

42 VRB. REGIVS, DE DOCTRINA

Apstoli doctrinā, Rom. 14. infirmorū habendā esse rationē, ut qui uescitur, non uescentem ne despiciat: & qui non uescitur, uescentem ne iudicet. Et quamuis pronunciet, nihil esse per se cōmune, nisi ei qui existimat aliquid esse cōmune, nō tamen uult fratrem abusu nostrae libertatis contristari, & cibo perdi pro quo Christus mortuus est. Sunt alia longe maiora quāe cibus & potus, quorum rationem Christianus habere debet, nempe pax & aedificatio. Non est enim regnū dei cibus ac potus, sed iustitia & pax & gaudiū in spiritu sancto. Sectemur itaq; quae pacis sunt & quae aedificationis, alius erga aliū. Tu fidē habes? apud te ipsum habe, corā deo. Et. 1. Cor. 8. Scientia inflat, charitas aedificat, uidete ne quo modo facultas istra uestra offendiculo sit infirmis. Hæc omnia & spiritus sanctisane doctrinae sunt, & nullā aperiunt fenestrā gulae, ut somniant traditionum adsertores.

DE IEIUNIO,

Doctrina noua.



Septis diebus sub præcepto ieiunandum est, ut dies, apostolorum festa proxime præcedētes: quatuor angariae, & quadragesima.

DOCTRINA VETVS.

Vita nostra militia est, Iob. 7. Assidue cum carne domestico hoste conflictandum, ne crapula saginatus aduersus spiritum præualcat. Cauete uobis (ait Christus
stus

Itus Lu. 21) ne quando grauentur corda uestra crapula & ebrietate, subitusq; uobis ingruat dies ille tanquam laqueus.

Rom. 13. iubet spiritus abijcere opera tenebrarū & induere arma lucis, & numerat comesationes & ebrietates. Et non præscribit ullū diem, tantum dicit: Carnis curā ne agatis ad concupiscentias: uolens nos ad profligāda tenebrarum opera, nō uno aut altero die, sed cōtinue abstinere à comesationibus & ebrietatibus. Ne quis putet Christianū esse ieiunium, quod iam regnat, præsicitur & unice laudatur, cum aliquot horas à cibis abstinemus, & reliquis diebus genio indulgemus ampliter, uentrem pro deo colentes. Qua quidem re ipsis etiam Ethnicis sumus deteriores, qui uictum ad corporis ualitudinem retulerunt & ad uires, non ad uoluptatem. Considerantes enim quæ sit in natura hominis excellentia & dignitas, intellexerunt quā sit turpe diffluere luxuria, & delicate atq; molliter uiuere: quamq; honestū, parce, continēter, seuerē, sobrie. 1. Thessalo. 5. admonet nos Apostolus nostræ conditionis: Nos (inquit) filij lucis sumus, ac filij diei, sobrij simus: idq; non iubet aliquot dūtaxat dieculas, sed totū tēpus intelligit quo corpus peccati circūferimus. Quis hic in tanta cōplexionū uarietate modos & dies recte præscripserit? Nouit quisq; in se, quanti tēporis ieiunio, & quāta ad afflictione sibi opus sit ad domandā carnē. Nō igitur Essena

rum more quotidiana præscribimus ieiunia, nec cum deuterotis, certis affixa diebus: sed ad continuam sobrietatem & carnis refrenandæ curâ cohortamur, ne domino ueniente inter oscitantes opprimamur. Et hoc modo, salua libertate Christiana, semper ad uitâ temperantissimam & ieiunium Christiano dignum, ecclesias Christi opportune & importune urgemus. Saturum autem illud & crapulosum ieiunium, quod meriti uice domino uelut exprobramus, cum tamē ad mortificandam carnem nihil faciat, & corporali duntaxat exercitio, pietate neglecta, insolescat, ingenuè tanquam sordidam hypocrisim reijcimus. Et ad Iesaiam prophetam remittimus hypocritas: ubi quædam ieiunium dominus uelit, abunde discimus: Nunquid hoc erit ieiuniū quod eligam, die ut affligat homo animam suam? num uincire sicut iuncum caput suum? & saccum & puluerem sternere, num hoc dicetis ieiunium? Aperi nexus impietatis, rumpe fasciculos iugi, emitte confractos liberos, omne iugum dirumpe, frange esurienti panem tuum, & pauperes uagos induc in domum: cum uideris nudum, teges eum, & à carne tua non abscondaris. Hic uides castigandum quidem corpus esse, parum tamen utilem externam afflictionem, nisi ad mentis ieiunium ordinaueris, id est, ad abstinentiam à prauis adfectibus, ab auaritia & immisericordia. Utq; adhunc modū recte ieiunes, nō est tibi necessarius ciborū delectus, nisi do
mandæ.

1. Timo. 4

mandæ carnis ratio hoc efflagitarit: abstines enim & parcissime uteris quocunq; cibo, tantum ad naturã sustentandam. Carnibus igitur aut piscibus uti poteris, quanquam & pisces caro sint, Plinio & Apostolo testibus, ne quis Iudaiissans nasum ad hæc corruget.

DE DIERV M DISCRIMINE

Doctrina noua.



Ies non sunt æquales, quidam sunt sancti, reliqui nõ item. Hinc dominica dies Christianis festus est, ocio sanctificandus. Similiter dies uirginis matris, apostolorum, & alij ab Ecclesia ad feriandum electi, ut si quis præfatis diebus opus aliquod seruile aut manuale confecerit, peccabit. Hinc si quis uel necessitate compulsus quippiam operis fecerit domi aut foris festo die, crudelius ab officialibus Episcoporum & plebanis tractatus est, quàm si adulterium perpetrasset, aut usura proximum expilasset.

DOCTRINA VETVS.

Constituendi sunt dies aliquot ad feriandum, ab operibus manuum, non quo sanctior aut celebrior sit illa qua conuenimus, sed ne inordinata congregatio populi, fidem minuat in Christo. Nam quo cõmodius audiamus uerbum salutis æternæ, cœnam dominicam peragamus, & cõmunibus uotis Ecclesiæ necessitatẽ deo proponamus & cõprecemur. Omni-

no certi dies constituendi sunt, quibus dum agitur res
anima, à familiaribus negocijs supersedeamus.

De uera in
nocentia.

Hieronymus.

Cauendum tamen ne animas laqueis mandatorum
perdamus, & Iudaissantes contra doctrinam spiritus
sancti (Galatis. 4) dies obseruemus, sicut Hebraei diem
Sabbati, & Neomeniae, quasi necessario illa sint ob-
seruanda ad iustitiam: hoc enim esset, libertate fidei re-
iecta, ad infirma & egena elementa conuerti & Chri-
stum negare. Hebraei sabbatum obseruare iussi sunt,
sed luce ueniente haec umbra cessit, ut nemo iam legem
statuere & peccatum facere debeat, ubi scriptura nullum
facit, & libertatem relinquit. Coloss. 2. Ne quis iudi-
cet uos in parte diei festi, &c. Sic de sabbato Augu-
stinus: Obseruatione sabbati (inquit) quae uacatione
unius diei figuratur, ablata, perpetuum sabbatum
obseruat qui spe futurae quietis, sanctis operibus in-
tentus, nec in ipsis actibus suis, quasi de proprijs & de
ijs quae non acceperat, gloriatur, & illum in se ope-
rari cognoscens qui simul operatur & operando quie-
tus est. Recte igitur Hieronymus in Nouo testamen-
to affirmat, omnes dies aequales esse, semper esse san-
ctum resurrectionis diem, semper licere ieiunare, sem-
per uesci dominico corpore, semper orare. Et aposto-
lus, Rom. 14. non uult eum temere iudicari qui idem
iudicat de quouis die. Quae enim in lege de diebus, ci-
bis, uestibus, loco, personis praecpta sunt aut uetita,
ad tempus correctionis imposita erant, iam coruscante
te Euangelij

te Euangelij gratia euanuerunt, & libertas regnat, qua non amplius statis diebus externisq; operibus Iudaice colimus deum, sed spiritu & ueritate. Nam pertinebant hæc legalia ad Iudæos, non ad gentes: Act. 17. Quomodo item Christus nostræ libertatis autor tractarit sabbatum, ex Matth. liquet cap. 12. Mar. 2. Luce. 14. Ioan. 5. & 9. Episcoporum igitur esset, abrogare dies festos, quos nulla efflagitat Ecclesiæ necessitas, & quæ populo ad pecunias & animas perdendas occasionem præbent.

Nota

DE ORATIONE,
Doctrina noua.



Randum est statis horis, nempe matutina, sexta, tertia, prima, uespertina, &c. atq; in Ecclesijs deo consecratis fit oratio cõgruētius, iuxta illud: In Ecclesijs benedicite domino. & Domus mea orationis domus uocabitur. Multa sunt in tēplis quæ deuotionē tribuunt & augent, ipsa loci maiestas, campanæ baptisatæ, organa, nolæ, cantica, cerei, reliquiæ sanctorum, picturæ, imagines, uestes cõsecratæ, sacramentū Eucharistiæ, sacrificiū altaris, altaria in honorē diuorū consecrata, uexilla, supplicatones, ipsa tēpli unctura & cõsecratio, aqua benedicta ipsis etiā cacodæmonibus formidabilis, angelorū præsentia, quia Gen. 28. Terribilis est locus ille; item certior exauditionis sponsio

ut 3. Regum 8. respondit dominus ad orationem Salomonis: Audiui orationem tuam, eruntq; oculi mei & cor meum cunctis diebus, &c. Deniq; sunt quædam pater noster consecrata, in quibus fit oratio efficacior & maioris meriti, quæ templorū foribus affiguntur, certus orationis dominicæ numerus & angelicæ salutationis obseruandus est. Item quædam sunt preces multis indulgentijs donatæ. Item proprijs apostolis & electicis sanctis quotidie aliquoties oratio dominica est dicenda.

DOCTRINA VETVS.

IN omni loco adoranda est superbenedicta trinitas. Psal. 103. Benedic anima mea domino, in omni loco dominationis eius. Ioan. 4. ait Christus: Venit hora & nunc est, quando uerè adoratores adorabunt patrem spiritu & ueritate: nam & pater tales querit, qui ipsum adorent. SPIRITVS EST DEVS, & eos, qui adorant eum, SPIRITV AC VERITATE oportet adorare. Vbi Christus Samaritanæ de loco orationis interroganti, respondet: Mulier, crede mihi, uenit hora (eamq; horam iam esse dicit) quando neq; in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis patrem. Prima Timoth. 2. Volo orare uiros in omni loco, sustollentes puras manus absq; ira & disceptatione. Sic Stephanus Act. 7. Iudæorū cæcitatem perstringens, quod templum Salomonis iactarent, ait: Non is est excelsissimus, qui in manufactis

ctis

Etis templis habitet: citans locum Iesa. 66. Sic dixit dominus: Cœlum sedes mea, & terra suppedaneū pedum meorum, quæ nam illa domus quam edificabitis mihi, & quis ille locus quietionis meæ? Et omnia illa manus mea fecit, & facta sunt omnia illa, dixit dominus, & ad illum respiciam ad humilem & constrictū spiritu, & tremētem ad sermonem meum. Habemus patris & filij uerba de loco orationis, quæ spiritus sanctus loquutus est, an non credemus filio, quem pater audiri iussit, Matth. 17? Et ipse cū asseueratione dixit: Mulier crede mihi?

Scimus in ueteri lege arcam fœderis fuisse, & templum domini magnificum, ubi Iudæi promissionem diuinā habebant. 2. Paral. 7. Aures meæ erunt erectæ ad orationes eius, qui in loco isto orauerit, elegi locum istum. Sed quid nunc faciemus, quando cedente Mose, qui seruus tantum erat domus domini totius, filius ipse uenit, apostolus & pontifex confessionis nostræ Iesus Christus, Heb. 3. uenitq; uiua dei templa præparaturus, quippe futurorum bonorum pontifex, qui per maius & perfectius tabernaculum non manu factum, hoc est, non hominis structuræ, neque per sanguinem hircorum ac uitulorū, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione reperta, Heb. 9. Abijt qui legem dedit, successit per quem gratia facta est, Ioan. 1. Abijt Aaron, quia uenit sacerdos uerus in æternum, securus

50 VRB. REGIVS, DE DOCTRINA

dum ordinem Melchizedek. Breuiter, euanuit figura, quia illuxit ueritas. Quorsum igitur sumptuosissima ceremoniarum pompa in nouo testamento? Non damnamus illa ædificia, in quibus populus cōmodius ad uerbū audiendum confluit, abusum & errorē damnamus, nempe, quod in his basilicis extruendis, & ornādis nec modus nec finis ullus est. Exod. 36. iussio Mosi, præco uetat, ne uir uel mulier quicquā offerat ultra ad opus sanctuarij, plus enim offerebat populus, quā necessarium erat. Iam præcones illi ad templorum structuras sine fine donaria populi exigunt. Vbi Christus in nouo testamento templorū ornamenta & ædificia sic exigit & præscribit facienda? Nonne iussit adorare patrem in spiritu & ueritate? quæ duo uerba, uniuersam illā ceremoniarū tragoediam damnāt, quā ad orationē putamus utilē & necessariam. Quid enim ad spiritū & ueritatē adorationis facit infinita uestiū uarietas, campanarū, organorū & cānticorū diuersi generis insanus ille tumultus? Quod si illa deuotionē homini tribuunt, præstaret non solū basilicas, sed omnes domos, uias & compita campanis perstreperere, repleri imaginibus. Dominus exigit spiritum & ueritatem. Nos contra, egregie præstamus carnalem pompam ceremoniarū, quæ possit totum Iudaismum, ne dum æquare, sed uincere numero & magnitudine: pro spiritu carnem habentes, pro ueritate speciosissimā hydocrisim. Totos enim dies consumimus

¶

sumimus canēdo, sacrificādo et murmurādo. Linguis loquimur, sed nemo prophetat, qui hominibus loquatur ad ædificationē, exhortationem & consolationē. Apostolus uult quinque uerba mente loqui, ut & alios instituat, potius quā decem millia uerborū lingua. Nos ad quæstum psalmos sine intellectu detonamus, dantes sine mente sonum. Atque huic cæco seruitio cogitur cedere uerbum dei, & Apostoli institutio. Clamamus sicut olim Iudæi, Hier. 7. Templū domini, templum domini, templum domini: Cultus diuinus, cultus diuinus, cultus diuinus: confidentes in uerbis mendacij, cum totū hoc ceremoniarum negocium sit plane conductitiū, & impletur quod dominus dixit, Malachie 1. Quis est in uobis qui claudat ostia & incendat altare meū gratuito? Quare subditur: Nō est mihi uoluntas in uobis, dicit dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu uestra.

Quod si tantopere placet illa ceremoniarum tragœdia, age Iudaismum totum reducamus, instruatutur Aaron, constituentur Leuitæ, mactentur oues, boues & uituli. Denique cū insanis Iudæis circūcidamur, & expectetur alius Messias, qui brachio nō domini, sed seculi nos in terram Chanaan introducat. Certe si sumptuosissimus ille dei cultus, noster Christianismus est, in quo pietas sita sit, fateor me ignorare quid sit religio nostra. Si autem Christus est dominus & magister noster, & doctrina eius, patris doctrina est,

52. VRB. REGIVS, DE DOCTRINA

ueritas & uia: turba ceremoniarum nostrarum, quid
uis est potius q̄ cultus diuinus. Vbi legimus in Euange-
lio conductas preces, quas præsente mercede persola-
uas, absente recuses? Vbi probat dominus nundinatio-
nes illas in rebus diuinis? Iam quæ pro certo oratio-
nis loco statuendo ex ueteri testamēto produciunt, quis
non uidet absq; iudicio tractari ex mera ignorantia
scripturarum? Eiusdē farinae est & illud, quod fingūt
Satanā horrere ad aspersionē aquæ benedictæ, quasi
non magis terreatur ad aspectum Christiani, quē una
ctio spiritus sancti sanctificauit, & qui est templū spi-
ritus sancti? Quæ aut de consecratione ligneorū pa-
ter noster, & numero orationis dominicæ adferunt,
gerris Siculis uaniora sunt, & anilia deliramenta.

proverb.

Orandus est igitur pater coelestis per dominū no-
strū Iesum Christū spiritu & ueritate ubiq; ut preces
non sint alligatæ locis. Vel enim ingredimur concla-
ue, & occluso ostio, oramus patrem qui est in occulto,
Matth. sexto. Vel precamur in omni loco, prima Tim-
moth. secūdo. Totus enim mundus est templum dei.
Coelum & cœli cœlorum non capiunt dominū, quan-
to minus hæc basilica? Si ascendero in cœlum (ait
Propheta regius) tu illic es, si descendero in infernum
ades. Et ipse per Hieremiā capite 23. Cœlū & terrā
ego impleo. Et Apostolus Atheniensibus in concione
dixit: Deus non longe est ab unoquoq; nostrū, in ipso
enim uiuimus, mouemur & sumus.

psal.

Act. 17.

DE

NOVA ET VETERI.

57

DE VOTO,

Doctrina noua.



Vouete domino & reddite: Psal. 75. Vouere igitur possumus, & reddere debemus. Vouentibus enim lex posita est de reddendo 4. Sent. Votum est cum quis sponte promittit, se seruaturum aliquod bonum, ad quod aliàs non tenetur, quamuis teneatur post uotū. Tria sunt uota substātialia, paupertatis, castitatis & obedientiæ. Semel monachus factus uel sacerdos, uoto obstringitur ad sic uiuendum perpetuo.

Definitio uoti.

DOCTRINA VETVS.

Votum est lex, sic enim scholæ sentiunt, uouentibus lex posita est de reddendo. Iam nō est obscurū, quid de lege eiusq; operibus sentiāt arcanae literæ. Lege aut operibus legis Mosaicæ nemo iustificatur, quanto minus operibus uotiuīs, cū humanas traditiones penitus reiiciat scriptura, & deus nolit deo terosibus coli? Iesaiæ 29. Matthæi 15. Marci 7. Solā enim fides in Christum, non opera, quæcunq; tandē illa sint, iustificat. Nec patitur sincera fides secū ullā in opera fiducia, opera quidē producit, quia per charitatē operatur, cæterū non patitur quenquā illis hærere opinione impia, per ipsa iustificandi, quod hoc sit negare dominū, qui nos sanguine suo mercatus est.

Rom. 3.
Galat. 2.

Scripturæ

Sincera fides non patitur illam operum fiduciam.



Vota autem non alia opinione fieri solent, quàm

d 3

per ipsa delendi peccata, emerendi gratiã & remissionem peccatorum, idcirco ex ignorantia Christianismi proficiscuntur, & plane impia sunt, & proinde nulla sunt. Nam & scholæ docent, quæ ad dispendium salutis uergunt, sub uoto cadere non posse, cū uotum eosdē habeat comites, quos habet iuramentū, nempe **Hiere. 4.** iustitiã, iudiciū & ueritatē. Velle aut per opera iustificari, est gratiam Christi abijcere, hoc est, salutē uerã amittere. Nulla sunt igitur hæc uota quæ iactantur. Stat enim enthymema Paulinum, uotarijs omnibus formidabile & inuictū: Si ex lege est iustitia, frustra mortuus est Christus. Et Galat. quinto: Christus uobis factus est ociosus, quicumq; per legē iustificamini, à gratia excidistis. Et Galat. 2. Scimus quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidē Iesu Christi. Si hæc dicuntur in Iudæos, qui operibus legis Moisaicæ iustificari præsumebant, quis feret nostram impietatem, qui legū nostrarum operibus ea quærimus, quæ solus præstat Christus in fide?

Proinde temerarij uoti nos pœnitet, & precamur à deo ueniam peccati, per uotum stultum perpetrati, ad libertatem, Christi sanguine partam, cum fiducia reuertentes: & contemptis operum magistris, professis Christi hostibus, illam potius audimus spiritus sancti acclamationem, Galat. 5. In libertate qua Christus uos liberauit, state, & ne rursus iugo seruitutis implicemini.

Lm

Iam quæ ipsi ex ueteri Testamento pro uotis adferunt, nihil faciunt ad hoc institutum, si quidem ritus ille uouendi iudaicus erat, iam abolitus est, sicut & sacrificia: Act. decimoquinto. Fides in Christum libera facit omnia externa, nec uotorum seruitus & nostra libertas ullo modo conueniunt. Et quid multis opus est? Vota nostra extra fidem sunt, peccata igitur sunt, quis iam dubitet peccata relinquere?

DE CONSILIIIS,

Doctrina noua.



Euangelium diuiditur in consilia & præcepta. Præcepta tenemur facere, consilia autem non contemnere. Consilia habentur, Matthæi. 5. Diligere inimicos, non resistere malo, non litigare in foro, mutuo dare cuiuis egenti, & id genus alia. Quæ si tanquã præcepta haberentur, nimirum oneratiua essent nouæ legis. Sic enim loquitur Lutecia.

Rom. 14.

Euangelium diuiditur in consilia & præcepta.

DOCTRINA VETVS.

Consilium in Euangelio habemus de cœlibatu, Matthæi 19. 1. Corinthio 7. Ea autem quæ habentur Matthæi 5. præcepta sunt non consilia, id quod ex circumstantijs textus clarum fit: nam minatur Christus, quod haud quaquam faceret, si tantum consulisset. Qui minatur poenam, legem proponit, nõ consilium: ad hæc, præcipitur: Dilige proximũ sicut teipsum: amor autem ille in se complectitur, quæ

Matth. 5. diximus, deniq; concupiscentia prohibetur, ergo & illa. Matthæus cum recensuisset illa quæ scholæ inter cōsilia numerant, subdit: Vt sitis filij patris uestri, qui est in cœlis. Similiter Lucas post enumeratas has leges subiungit: Et eritis filij altissimi: ergo non facientes ea non erunt filij. Certe non diceret ad hunc modum consultor. Atq; ita intellexerunt uerba Christi

Chryso. Chryso. Augustinus Hilarius. Quod si dominus ea omnia præcepit, cur serui pro libidine nostræ refigimus leges domini?

DE MATRIMONIO,

Doctrina noua.



Quartus gradus consanguinitatis impedit matrimonium. Sunt autem 12. impedimenta matrimonij, quæ impediunt contrahendum, & dirimunt iam contractū, ut habentur in 4. uersibus:

Error, conditio, uotum, cognatio, crimen,
 Cultus disparitas, uis, ordo, ligamen, honestas,
 Si sis affinis, si forte coire nequibis,
 Hæc facienda uetant connubia, facta retractant.

Quædam sunt quæ impediunt matrimonium contrahendum, sed non dirimunt contractū. Nempe tempus feriarum, & interdictum Ecclesiæ.

Item per sacramentum baptismatis & confirmationis contrahitur cognatio spiritualis, quæ impedit matrimonium contrahendum, & dirimit iam contractum.

Etum. Item Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus impediunt matrimonium contrahendum, dirimunt contractum, quod uotum castitatis sit illis ordinibus annexum. Item facto diuortio uterq; innuptus maneat.

DOCTRINA VETVS.

Leuitici. 18. gradus consanguinitatis & affinitatis prohibiti leguntur, pater, mater, nouerca, soror naturalis, soror legitima ex utroq; parente, neptis, amita, matertera, uxor patru, nurus, uxor fratris, priuigna, filius priuigni, uel priuignæ, soror uxoris uiuente uxore. Hic prohibetur primus gradus affinitatis, & secundus consanguinitatis, quamuis fratris, aut sororis filia uel neptis non numeretur prohibita. Hæc cum iure diuino cauta sint, non possunt non esse honestissima, ut temerarium sit si homo addat uerbo domini sua decreta.

Quæ de feriarum tempore & interdicto Ecclesiæ dicuntur, hominum inuenta sunt. Cognatio item spiritualis nullum in sacris literis testimonium habet: quare quantacunq; honestatis specie fulgeat, eadem tamen facilitate contemnitur, qua recipitur. Cur non impedit fraternitas illa sanctissima, qua omnes cum Christo connectimur? Fratres mihi sunt & sorores quotquot Christum confitentur. Ordinem uero matrimonij impedimentum esse, nihil aliud est quam falsis loquium per hypocrisin. Nam si matrimoniū, sacra

mentū est (ut ipsi docent) non intelligimus, quomodo
 sacer ordo, connubij sanctitatē nō ferat. Honorabiles
 sunt nuptiae, spiritu sancto pronunciante, Heb. 13. Et
 illi putant sanctitatem matrimonij, ordinis sanctitati
 esse contrariam, quod Apostolus nesciuit. 1. Timoth.
 5. & Tit. 1. ubi Episcopum vult unius uxoris mari-
 tum esse, & 1. Timoth. 4. doctrinam demoniorū uo-
 cat, si quis prohibeat cōtrahere matrimoniū. 1. Cor.
 7. non solū dicit, melius est nubere quā uri: sed pas-
 lam praecepit in hunc modū: Propter supra uitanda,
 suam QVISQVE vxorē habeat. Quis est ille quis-
 que? an obscurū est, liberas esse nuptias, omnibus qui-
 bus continentiae donum nō obtigit? Hieronymus cau-
 sam adfert cur Christus Act. 9. Paulum uas electio-
 nis uocauerit, nempe quod legis & sanctarū scriptu-
 rarum armarium sit. Et contra Iouinianum, Paulum
 Apostolum (inquit) proferam, quem quotiescunq; le-
 go, uideor mihi non uerba audire, sed tonitrua. Sed
 qui impurum coelibatum tuentur, haec electi organi,
 tonitrus, tanquam canis latratum contemnentes, pec-
 care censent eum, qui uxorē duxerit & ante sacris sit
 initiatus. Deus pater nuptias instituit, filius sua prae-
 sentia & primo miraculo decorauit, spiritus sanctus
 honorabiles pronunciauit, seruus Iesu Christi Pau-
 lus Episcopis & diaconis non prohibuit: & illi qui
 Euangelium iactant, nuptias Episcoporum tanquam
 sem prophanā, quam ordinis sanctitas nō patiatur,
 inter

Hierony.

inter peccata mortalia collocant. Cur non uel patrū sentētiæ credūt? Theophylactus enim super Matth. 8. ait: Disce hic quod nuptiæ nō à uirtute prohibent, princeps enim apostolorum socrum habuit.

Porro diuortium nos nullum probamus, nisi in casu fornicationis, ut Christus docet, Matth. 19. ubi personæ innocenti à repudio liceat iterare coniugium: Id quod facile fieret, si pro lege dei, Deuteronomij 22. adulter uel adultera occideretur. Iam uterq; manet inconiugatus, quod nomine uerius quàm re diuortium est. Notus est textus, Matthæi 19. Quicumq; repudiarit uxorem suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium. Nam clausula interiecta, nisi ob stuprum, totam periodum moderatur & explicat, ut si stuprum intercesserit, qui adulteram repudiarit & aliam duxerit ipse innocens, is adulteriū non commiserit. Et cur in his non confugimus ad scripturam diuinitus inspiratam, potius quàm ad Summistas, cum Apostolus. 2. Timothei 3. eas pronunciet utiles ad doctrinā, correctionem & institutionem?

DE EPISCOPIS,

Doctrina noua.



Episcopus maior est simplici presbytero, habetq; casuū quorundā reservationē, quo enim gradus celsior, eo potestas illie mitatior. Atq; hæc doctrina noua cōni-

60 VRB. REGIVS, DE DOCTRINA

uet ad pompã plus quàm secularẽ, eorũ qui se uocant
apostolorum successores, & uerbum domini non præ
dicant, quod est officiũ in Ecclesia præstantissimum.

DOCTRINA VETVS.

Cvm inter discipulos coorta esset contentio,
quis eorum uideretur esse maior, dixit Chri
stus: Reges gentiũ dominantur eis, VOS AVTEM
NON SIC. Vbi hunc ambitionis adfectum penitus
eximere uoluit è discipulorum animis. Nam si domi
nus & magister noster nõ uenit ut sibi ministraretur,
sed ut ministraret alijs, Matth. 20. quanto minus ser
uos decuerit, ut mundana ambitione intumescant?
Quod apostolus. 1. Corinth. 4. palàm docet: Sic nos
(inquit) æstimet homo, ut ministros Christi & dispen
satores mysteriorum dei. Ministros dicit, non domi
nos & principes mundi. Sic passim in epistolis se uo
cat apostolum & seruum Iesu Christi, nõ principem.
& Roman. 1. Non enim me pudet (inquit) Euan
gelij Christi, quia est potentia dei ad salutem omni
credenti. Et. 1. Cor. 1. ait se missum ut euangelizaret.
Et 1. Cor. 9. uocationis suæ memor ait: Væ mihi est,
nisi euangelizem. Præterea Christus apostolos in or
bem uniuersum missurus, nullũ apostolicæ potestatis
discrimẽ fecit, sed omnibus dixit Matth. ultimo: Do
cete omnes gentes, &c. Et Marci ultimo: Ite in mun
dum uniuersum, & prædicate Euangeliũ omni crea
tura.

*turæ. Lucæ ultimo, facit eos æqualiter testes. Euange-
 lij. Ioan. 20. æqualiter omnibus dixit: Accipite spiri-
 tum sanctum. Quoruncūq; remiseritis peccata, &c.
 Vbi hic reservationes casuum, & ingens illa inter mi-
 nistros uerbi differentia? Quod si adeo placet patrū
 scripta, legant quæ super ea re libere scripsit diuus
 Hieronymus, ad Titum 1. cuius uerba fideliter adscri- **Hierony.**
 bam, sic enim ait: Idem est presbyter qui Episcopus.
 Et ante quàm diaboli instinctu, studia in religione fie-
 rent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego
 Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum
 consilio Ecclesiæ gubernabantur. Paulatim uero, ut
 dissensionum plantaria euellerentur, ad unum omnis
 delata est sollicitudo. Sicut ergo presbyteri sciunt se
 ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi prepositus fue-
 rit, esse subiectos, ita Episcopi nouerint se magis con-
 suetudine quàm dispositionis dominicæ ueritate, pre-
 sbyteris esse maiores, & in cōmune debere Ecclesiam
 regi, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate
 solus præesse populo Israël, septuaginta elegit cum
 quibus populum iudicaret. Vbi hic ius diuinum quod
 iactant Episcopi pro suo primatu? Nōne Hierony-
 mus palàm fatetur, non iure diuino esse hanc dispari-
 tatem, sed consuetudine? Et cum Episcopi dotes à Pau-
 lo recitatas explanaret, exigit in Episcopo doctrinā.
 Hic locus (inquit) aduersus eos facit, qui inertia se &
 ocio & somno dantes, putant peccatum esse, si scriptu*

62 VRB. REGIVS, DE DOCTRINĀ

ras legerint: & eos qui in lege domini meditatur diē ac nocte, quasi garrulos inutilesq; contemnunt, non animaduertentes Apostolū post catalogū cōuersationis Episcopi, etiā doctrinā similiter præcepisse.

DE CEREMONIIS.

Hoc nominis à Cerete tractū putant oppido Tuscia, quo cultum diuinū, sed externū significamus.

Doctrina noua.



Eruāda sunt ceremoniæ à patribus traditæ, neq; mutandæ, ut quæ cultus sint diuinus. Eas enim, quales quales sunt, eā tamē pertinacia tuetur Ceremoniarij, monachi & sacrificuli, quasi in his solis sita sit pietas. Nam uidimus hoc seculo ordines sacros implacabilibus odijs inter se ardere & digladiari propter ceremonias.

DOCTRINA VETVS.

Deut. 5. **N**ec ad dextram, nec sinistram est declinandū, sed regia uia est terēda. Vita nostra eò loci est ut citra ceremonias transigi non possit: non enim angelici spiritus, sed homines sumus: & donec in corporis ergasculo uiuimus in hoc mūdo uisibili, necesse est ut differentias habeamus operū, locorū, officiorum, temporū, personarū, aliarumq; rerū. Sumus enim, ut est apud Apostolū, Ro. 12. multa mēbra, & unū corpus, non omnes eundē actū habentes. Sed postq̄ lux Euangelij, legis umbræ successit, quā paucissimis ceremonijs

ceremonijs utendum esset, quemadmodum Christi in-
 stituto in nouo testamēto, baptismū habemus & coe-
 nam dominicā. Solemus enim (quæ est nostra semper
 in deterius procliuitas) ceremonijs multū tribuere,
 & in his probe absolutis uanā iustitiæ opinionē & fi-
 duciā cōcipere, atq; ijs omissis stultū timorē, hoc est,
 pessimam utrinq; conscientiā. Ne ergo in his à pietas-
 tis scopo aberremus, fidē & charitatē uelut modera-
 trices ceremoniarum adhibeamus, in quibus si factæ
 fuerint, pie fieri poterūt. Ante omnia autē sollicite ca-
 uendū est, ne caput & iugulū nostræ religionis, fidem
 in Christum petant ceremoniæ. Unica est iustitia no-
 stra fides in Christum, illa quæ dein per charitatem
 operatur, qua salua manente libertate spiritus, irre-
 prehensibilis uersaberis in Ecclesiæ ceremonijs. Si
 quidem qui per fidem iustificatus est, ne paruulos in
 fide scandalizet, seruat ceremonias, non quasi ad iu-
 stitiam necessarias, sed quasi paruulorum pædagogi-
 am, persuasissimum habens, omnia illa externa nobis
 per fidem libera esse, neque se quicquam debere cui-
 quam, nisi ut diligat: Ro. 13. Hac regula Apostolus cō-
 tra conscientie & fidei iacturā fratribus conuersans,
 sic liber erat per spiritum fidei, ut tamen omnium se
 seruum faceret, omnibus omnia factus ut omnino ali-
 quos seruaret. Scientiam habebat, cæterum non igno-
 rabat, scientiā inflare, charitatē autem ædificare: 1.
 Cor. 8. & cap. 10. oīa sibi licere fatetur, at nō omnia

1. Cor. 9.

conducere, omnia sibi licere, sed nō omnia edificare. Et sectabatur quæ pacis & quæ edificationis erant. Hunc imitabimur, libertatē non dantes in occasionē carni, sed per charitatem inuicem seruietes: Galat. 5. Monendi sunt hic qui populo præsumt speculatores in Israël, ut exonerent Ecclesiam, tot iam ceremonijs & legibus pressam, ut prope tolerabilior fuerit Iudeorum quàm Christianorum conditio. Iam nedum ridiculum sed & impium est, ob ceremoniolas nescio, quas dimicare inter se Christianos, quorum symboliæ charitas est, non ceremoniæ.

DE TRADITIONIBVS HVMANIS,

Doctrina noua.



NOSTRUM canon qui pontificum constitutiones æquat Euangelijs, nec Euangelia contendit utiliter retineri, nisi patrū quoq; statuta seruētur, ut habet Leo. 4. distinctio ne. 20. capite de libellis.

Non omnia necessaria scitu ad salutē, in canonicis literis sunt expressa, sed spiritus sanctus subsequitis tēporibus reuelauit multa salutaria patribus nostris. Ioan. 16. Multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo. Et quæ tum erant in practica, non omnia sunt scripta, sed uelut per manus tradita, ad nostra usque tempora peruenerunt, ut Damaschenus in sermōe de defunctis scribit, memoriā defunctorū fidelium ab Apostolis ad nos profectā: Præterea Paulus pleraq;

pleraq; coram docuit populos quos Christo lucrificavit, quæ literis non sunt prodita.

Item qui non audierit Ecclesiam, sit sicut Ethnicus: potest igitur constitutiones facere, necessarias ad salutem. Item necessarium est ad salutem, cuius transgressio est mortalis. Sed Ecclesie constitutiones sunt eiusmodi, maiorem tenet Abb. in proœ. Decret. Et in cap. 1. de constitu. citat Calderinum, Ioannem Andream & Thomam, facit ad hoc textus in. c. quo iure. 8. dist. ubi habetur quod præcepta Ecclesie transgrediens peccet mortaliter, eo quod lex positiua etiam obliget in foro conscientie, ergo obligant. Hinc magno supercilio decernit Ioan. Maioris in 4. distinct. 15. q. 3. Sentire quod transgrediens præcepta Ecclesie non peccet mortaliter, error est.

DOCTRINA VETVS.

Matthæi 17. Pater cœlestis Ecclesie suæ doctorem præfecit filium unigenitum, dicens: **IPSVM** audite: posuitq; uerba sua in ore eius, Deut. 18. ultor futurus eorum qui huius doctoris doctrinam respuerint, qui Ioan. 7. dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Hic est æterna patris sapientia, uia, lux & ueritas, quem firmiter credimus, & uoluisse & dedisse Ecclesie suæ doctrinam non mutabilem & mancã, aut instabilem, sed solidam, perfectã & immutabilem, cui non opus sit quicquam addere

uelut supplementum, quæ enim ad salutem scitu necessaria sunt, canonicis literis satis superq; continentur. Interdum apostoli copiosius de regno dei uia uoce testati sunt quam demandatum sit literis, uerum tamen quod ad summam sententiæ aut doctrinæ attinet, nihil aliud prædicarunt quam Euangelium, quod scriptum habemus: ut quæ ad uitam Christianam pertinent, non aliunde quam ex Biblijs discere oporteat.

2. Timot. 3. Omnis scriptura (inquit Apostolus) diuinitus inspirata & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, ut integer sit dei homo, ad omne opus bonum apparatus.

Quid igitur hominum leges, uelut ad Christianismum necessarias Ecclesiæ obtrudimus? De ciuilibus non loquor. Scio potestatis secularis leges esse seruandas propter conscientiam, habent enim robur ex iure diuino. De hominum decretis loquor, quibus conscientias obstringere uolunt. Præterea magnifico scripturam sanctam elogio cohonestat Apostolus 2. Timothei 3. Sacræ literæ (inquit) possunt te eruditum reddere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu. Quis audet suis constitutionibus hunc titulum præfigere, ut ad salutem doctos reddant? hic honor arcanis duntaxat literis debetur. Porro si qua ante mille annos patribus à spiritu sancto reuelata sunt, quæ tempore apostolorum, in flore nascentis Ecclesiæ, apostolis & Ecclesiæ fuere ignota; ea uel necessaria sunt ad salutem

tena

tem uel non: si non sunt necessaria, sed pro tempore constituta, quid his obligatur conscientia? Si ad salutem necessaria, uel alia est uia iam ad salutem quam olim in primitiua Ecclesia, uel damnati sunt quotquot ante hanc reuelationem e uita migrarunt, quippe qui rem ad salutem necessariam ignorarint. Quæ cum uariissima sint, & eadem illa ratio iustificandi, & uia salutis iam sit quæ tum erat, & tum erat quæ iam est, quid necessaria facimus, quæ necessaria non sunt? Et libertatem Euangelicam tam uilem habemus, ut æque uelimus somnia nostra, atque sacro sanctum Euangelium obseruari. Constitutiones Episcoporum quæ conscientiam nõ diuexant, sed ad pacem publicam, & uitæ conuersationem tranquillam pertinent, nõ reijcimus: tantum reijcimus leges, quibus uel præcipiunt uel uentant sub peccato mortali, extra legem dei. Solus enim deus in conscientia regnare debet, in cuius manu peculiariter sunt animæ. Apostolus aduersariũ dei uocat eum qui in templo dei sedere conatur, & seipsum deum ostentat. Nos noui testamenti ministri sumus, spiritus ministri non literæ. Quid faciunt ad iustificationem humanæ cõstitutiones? Si dicis, præparant ad facilius obediendũ deo, respondeo: Nihil est quod animum ad seruandam dei legem queat præparare aut formare, præter Christi gratiam. Apostolus Galat. 1. anathema pronũciat, non hominem solum, sed & angelum de cœlis, qui ausit aliud Euangelium prædicare

2. Thess. 2
2. Corin. 3.

re, quàm quod Paulus prædicauerat. Quod si est potentia ad salutem omni credenti, cur ad tantam potentiam nostras quoque paleas iungimus? Et 1. Corin. 3. Fundamentũ aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Si ad Mosi legem addere nemo debebat: Deut. 12. cur adderemus Euangelio, quod & Cameracensis scholasticus legem perfectissimam uocat, & in præceptis rectissimã? Quin obmissis legibus nostris, exequimur negocium à Christo datum, Matthæi ultimo: Docete omnes gentes seruire omnia quæcunq; præcepi uobis. Nos ministri sumus Christi, & dispensatores mysteriorũ dei. Quod superest, illud requiritur in dispensatoribus, ut fides aliquis reperiatur. Mystera hæc sunt articuli fidei Euangelicæ, sapientia crucis, cognitio gratiæ per Christum partæ, hæc prædicemus in salutem populi dei, nec abutamur potestate nostra, quam dedit nobis dominus in ædificationem, non in destructionem: 2. Corin. ultimo.

Canon qui patrũ constitutiones Euangelio æquat, palam impius est, quem ne aduersarij quidem nostri recipere possunt, nisi scripturarum canonẽ ignorent. Breuiter fides qua uiuit iustus, ex canonicis scripturis, non ex patrum decretis concipitur, hauritur & eruitur Augustino teste: Cur igitur ceu fidei articulũ reciperem, quod scriptura diuinitus inspirata non habet? Probare iubeor spiritus num ex deo sint, quam libertatens

De ciui. dei
lib. 9 c. 18.
1. Ioan. 4.

Veritatem per sacras literas iudicandi de omnium do-
 ctrinis, nemo nobis unquam extorserit. Nec uerba
 Ioan. 16. stabiliunt constitutiones humanas, promissio-
 nem enim suam deus impleuit in die pentecostes,
 quando misso spiritu ueritatis, duxit discipulos in om-
 nem ueritatem, quam ante hoc tempus portare non
 poterant. Memoriam autem defunctorum ab Apo-
 stolis ad nos peruenisse quis negauerit, cum Paulus
 1. Thess. 4. iubeat ut Thessalonicenses se mutuo con-
 solentur sermone de resurrectione mortuorum in Chri-
 sto? Ad Epicherema uero, quo per transgressionem
 constitutionis Ecclesiasticæ ratiocinantur, mortaliter
 peccare hominem, respondemus: Per legem cognitio
 peccati: Rom. 3. De lege autem diuina nõ humana lo-
 quitur Apostolus. Semper loquor de lege mere huma-
 na quæ conscientiam obligare tentat, & scripturis per-
 motus sic sentio, non debere aut posse humana con-
 stitutione obligari conscientiam, sumus enim donati
 libertate, qua utemur, quæ libertas conscientie liber-
 tas est. 1. Cor. 3. Omnia uestra sunt siue Paulus, siue
 Apollos, siue Cephas: unde intelligimus, nec Paulo
 nec Cephae potestatem esse obligandi conscientias, ubi
 deus non obligat. 1. Corin. 7. Nolite fieri serui homi-
 num. Colossen. 2. Mortui cum Christo, quid decretis
 tenemini? Et plerunque constitutiones huiusmodi, pu-
 gnant cum apostolorum uerbo & facto. Sed etiam
 ipsorum Gersonis teste lect. 2. de uita spir. Coroll. 7. Gerson.

non est in potestate papæ, concilij aut Ecclesiæ, immutare doctrinas ab euangelistis & Paulo datas. Vidit hoc in defensione constit. Ecclesia. D. Caspar Satzgerus, qui doctrinas extra scripturam, bonas tamen, ex lege diuina non esse obligatorias, palam fatetur. Nec mirum, solus enim Christus per uerbum regnare debet in conscientia, qui solus saluare potest & perdere. Matthæi 10. Metuite, nō qui possunt occidere corpus, non animam, sed illum qui potest animā & corpus perdere in gehenna. Certe si possunt constitutionem facere, eamq; præcipere sub peccato mortali, perdere animam possunt. Secus habet Euangelica ueritas. Contra illos fertur sententia diuina Ezech. 13. Væ qui ceruicalia faciunt sub capite uniuersæ ætatis ad capiendas animas, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, &c.

Quomodo autem sibi constat scholasticorum doctrina de ui obligandi humanarum constitutionum? cum Thomas ingenue fateatur, præcepta iuris positiui magis obligare ex intentione legislatoris quam ex ipsis uerbis: ut ille præcepti transgressor magis sit censendus, qui contra intentionem legislatoris agit, quam qui ab ordinatione legis iuxta literam recedit. Intentio autem legislatoris iuris positiui non est, ut semper obseruetur præceptum suum, quod possint accidere impedimenta, in quibus seruare legem non expediret, immo mortifera esset præcepti obseruatio.

Quare

Quare in omni precepto legis positivæ admittitur exceptio causæ rationabilis. Iam proponere casum: Lex est ne carnibus vescatur Christianus sexta septimanæ, aut ne uxorem ducat sacerdos. Hic legislatoris intentio est inducere ad bonum. Accidit autem, ut si illa observemus, uel periclitetur Christiana libertas, uel in legem diuinam peccetur. Hic non obligat lex positivæ, intentio enim legislatoris non est, quæquam perdere, aut transgressionis occasiones præbere: postquæ eius intentioni nõ satis fit, proculdubio remittet quæ statuerat. Etsi rationabilis causa adfuerit transgrediendi traditionem huiusmodi, absolutum pronunciat transgressorem, non temerarium: quæ autem rationabilior causa, quàm fuga peccati mortalis, aut periculum conscientie?

DE CONCILIIS,
Doctrina noua.

SI conciliorum eleuabitur autoritas, omnia in Ecclesia erunt ambigua & incerta, redibunt enim hæreses olim in concilijs damnatæ, nõ igitur fas est priuato quicquam aduersus concilia adserere aut docere. Congregatur enim concilium in nomine Christi, regitur à spiritu sancto, proinde non errat, ut conciliorum constitutiones, sint Ecclesiæ catholicæ constitutiones, quam concilium representat. Quæ autem Ecclesia statuit, non

minus quàm canonice scripturæ sunt obseruanda. Nec opus est ut determinationibus suis scripturæ testimonia concilium adiiciat, cum apostoli & seniores non fulciant scripturis primum concilium Hierosolymis habitum, Act. 15.

DOCTRINA VETVS.

Ioannes, prima Ioan. 4. iubet probare spiritus, num ex deo sint: licet igitur Christianis spiritum conciliorum iudicare, nam spiritum sanctum aiunt, concilij autorem esse. Quam autem probandorū spirituum regulam habebimus, præter uerbū dei? Hoc cum sit certum, uerum, purgatum septuplum, & lucerna in loco obscuro, Lydius nobis lapis erit ad probandas omnium hominum doctrinas. Quod si spiritus sanctus concilia moderatur, atq; ille idem ueritatis spiritus, apostolos omnem ueritatem docuit, apostoli prædicarunt, & nobis tradiderunt, necesse est, ut constitutiones conciliorum cum Christi & apostolorum doctrina, hoc est, sacris literis conueniant. Nō enim dissidet sibi spiritus dei, ipse simplex est, & simplex est eius doctrina. Cum autem constet concilij's decreta esse, quæ literis sacris, atq; a deo spiritui sancto sunt dissona, quis uetabit eiusmodi conciliorū constitutiones in dubium uocare? Apostolica doctrina uult Episcopum esse unius uxoris maritum. Est concilium quod Episcopis usum sacri connubij interdixit: quid hic iuris? Doctrina Pauli est, Euangelium
& ius

Et ius diuinum, quod mutari nō debet, cum uel angelicis spiritibus anathema minetur, si aliud Euangeliū adferre ausint. Iam si statuunt quæ diuinis literis sunt contraria, errare ea posse quis negauerit? Neq; hæc dixerim, ut concilia contemnem, quæ uere sunt concilia, sed Deum supra concilium statuimus.

Fatemur enim iuxta saluatoris promissionem, in congregatione quæ fit in nomine Christi, adesse Christum, sed nemini damus potestatem, contra scripturas quicquam statuendi in Ecclesia dei. Neminem recipimus, qui uenit in nomine proprio, Ioan. 5. Et qui à seipso et nō ex patre loquitur. Accedit his, quod scriptura non dat maiorem potestatem concilio generali, quàm duobus aut tribus in nomine domini congregatis, quæ congregatio potestatem habet rebellem et publicanum excōmunicandi, non autē præcepta condendi, et liberis Christianorū conscientijs obtrudendi. Præterea scripturæ prædixerunt, extremis diebus pseudodoctores in nomine Christi uenturos, qui multos sint seducturi, dicentes: Ego sum Christus. Quæ grauissima saluatoris admonitio, merito nos circumspectiores reddit, ne omni spiritui credamus. Egregia quidem sunt nomina, Ecclesia, concilium, in nomine Christi cōgregari. Sed quo minus hæc sola nos moueant, Christus et apostoli effecerunt, qui tam horrendis coloribus hæc ultima tempora depinxerunt, ut plus quàm stupor sit, hæc non animaduvertere. Cy

Matth. 18.

Matth. 24

Coloss. 2.

1. Timot. 4

Cyprianus prianus in concilio quodam, ubi considebant 86. episcopi, de baptismo hæreticorum male docuit, errauerunt cū eo plerique oēs Aphricæ, Numidiæ & Mauritanie episcopi. Quod si errāt concilia circa Ecclesie sacramenta, quis tuto posthac concilijs, citra scripturā decernentibus, crediderit? Porro qd' particulāribus, uel provincialibus concilijs accidit, hoc idē plenarijs accidere posse nihil dubitamus. Ego uero tunc omnia potius inter nos dubia et incerta fore cōtendo, ubi uerbi autoritas cōciderit, quā oportet illibatā manere. Nō enim Ecclesia dedit autoritatem uerbo, sed uerbū Ecclesie. Cū enim congregatio credit Euangelio, salua efficitur: & hæreses, quæ olim profligatæ & extinctæ sunt, gladio spiritus, quod est uerbum dei, extinctæ sunt. Certe hæresis non alia re quā uerbo dei, & sana doctrina eradicatur. Ideo Apostolus Tit. 1. uult episcopum sana doctrina esse communitum, ut possit contradicentes conuincere. Finge iam conciliū absque scriptura quicquam statuere, mox dicet Gerson, dicentq; cum eo uiri eruditione & integritate spectati: Dicto unius hominis, autoritate canonica munito, magis quā declarationi Papæ, aut generali concilio credendum est. Ut taceam interim notissimum illud quod habet Innoc. in c. cum uenerab. de except. Nempe, aduersus scripturam non debere admitti ullam probationem sed omnia citra dubitationem esse tenenda.

Ex his

Ex his confectarium est, concilio non licere citra
 scripturæ suffragia quicquam imponere Ecclesiæ. Et
 concilium Hierosolymitanum nihil absq; scripturis
 sola spiritus sancti præsumptione decreuit. Nam præ
 ter uerba Amos 9. reliqua omnia ex scripturis, nõ ex
 mera hominis uoluntate, robur habebant. Iubebant
 enim apostoli & seniores, ut abstincretur ab his quæ
 erant immolata simulacris, à sanguine, suffocato &
 scortatione. Summa negocij erat: Nõ operibus legis,
 sed gratia Christi iustificari hominẽ, quæ fidei iusti
 tia, iam olim cõprobata erat testimonio legis & pro
 phetarũ, Ro. 3. Porrò si hoc concilio rationẽ iustifi
 candi impij, satis docuerũt Apostoli magisterio spiri
 tus sancti, quid præterea posteritas alias iustificandi
 uias cõmentata est? Nam quæ ipsi necessaria uocãt, non
 erant ad iustitiam necessaria, sed ad charitatem. Scan
 dala enim infirmorum erant cauenda. Breuiter quæ
 statuerunt Apostoli, scripturis fulcire poterant. De
 idolothytis clarum est, habebant enim ex Deut. de
 fratre non ledendo & negligendo. Negligitur frater
 per scandalum datũ. Sciebant, omne quod in macello
 uenditur, edi licere: mundis omnia munda: omnia lice
 re at non omnia conducere: nihil esse cõmune per se:
 sed nolebant offendi fratrẽ, pro quo mortuus est Chri
 stus. Præterea Exod. 34. palàm præcipitur Iudæis,
 ne comedãt de immolatis: quæ obseruatio, lege etiam
 num tenaciter Hebræorum cordibus hærente, citra

Tit. 1.

1. Cor. 10.

Rom. 14.

offendiculum nō poterat protinus contemni. Gen. 9.
 sanguinis esus prohibetur. Idem Leuit. 7.17.19. A
 suffocato abstinere iubet dominus Exo. 22. Leui. 22.
 Scortatio prohibetur, Deut. 23. & 5. Ex ijs scriptu
 ræ locis firmari poterat Hierosolymitanū conciliū,
 quibus fiebat, ut nondū possēt firma cōscientia Iudæi
 Christiana libertate uti. Quare præceptū de charita
 te, iubebat uitari fratrum offendicula. Cōmuniant no
 stra concilia suas cōstitutiones scripturis, aut ea iube
 ant quæ sacris literis sunt fundata, scandali rationem
 habeant, nihil imponāt nisi quæ eo modo sunt necessa
 ria, quo ea tum erant quæ ab apostolis ad tempus sunt
 ordinata, & nemo illis reluctabitur. Obsecro itaque
 fratres, per misericordiam dei, quandoquidem hic nō
 de agrorum limitib. aut rebus caducis, sed animarum
 salute agitur, animum aduertite, rem omnibus modis
 maximā, posita animi perturbatione, synceriter ex
 pēdite. Nemo quæ sua sunt, quærat, sed quæ sunt Iesu
 Christi, nemo genuinum in fratre confringat. Est &
 mihi conscientia, ueneror patres & concilia, nō asper
 nor prophetias, sed ante omnia sacras literas, ceu uni
 cum thesaurum Ecclesiæ exosculor & suspicio: harū
 (inquit Augustinus) maior est autoritas, q̄ omnis hu
 mani ingenij capacitas. Si satis erat nos sanctos uiros
 habere, ingenio & eruditione præcellentes, ad regen
 dam Ecclesiam, quorsum attinebat scripturarum Ca
 nonem constituere? Si illi de rebus externis duntaxat
 quedam

quædam statuunt, in quibus nobis libertas est, cur quidam his onerant conscientiam, atq; ita onerant, ut parimò maiori solitudine hominum deuterose inculcent, quàm legem dei sanctissimam? Ego quod ad me attinet, prudens & sciens neminem seduco, nec quicquam assertum uolo, quod uerbo dei & Ecclesiæ catholicæ sit dissentaneum. Præcepta diuina sic urgeo, ut tamen interea nolim scandala poni fratribus quæ ex traditionibus hominum, ut est dies hæc, potissime oriuntur. Neque in hoc uno sudant studia mea, ut penitus ceremonias & patrũ statuta extirpem, sed monui pro officio meo, ceremoniarum & humanarum doctrinarũ obseruationes & dei iustitiam, magno distare interuallo. Esse quandam dei iustitiam, utroq; nobis oculo obseruandam, ut sciamus qua nam ratione, hominum cõscientiæ sint confirmandæ, aduersus potestas inferorum, quibus in rebus uera resipiscentia sita sit: Interim ceremonias Ecclesiæ, & traditiones patrũ, ubi nihil studio pietatis obstant, aut uitij habent, propter charitatẽ & pacem seruandas suadeo. Tantum ne religionis uim omnem, uel in despiciendis uel seruandis tãtum ceremonijs positã esse arbitremur. Quod si quis confutare nostra uoluerit citra liuoris fella, tanquam cum fratre, non cum hoste, rem transigat: nam & refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia, parati sumus. Quod si in hac antithesi cõmotior cuiquam uidebor, quàm uerbi ministerium ferat,

78 DE DOCT. NOVA ET VETERI.


is non mihi succenseat, sed illis qui me impia cōniuentia enecāt, palàm fatētes, esse in ecclesia abusus multo maximos: ceterū emendare nolūt, toties opportune et importune moniti, qđ discordiæ seminariū, ac ueræ pietatis pestē esse certo sciunt. Verū obmittamus hoc hominum genus, quod spiritu non feruet, atq; utinam nō dicat cū insipiente בלבו אין אלהים. Hæc mi frater, pinguiore formula tibi deliniauimus, nō omnia corradentes, quæ ad hanc rem dici posse uidebātur, sed ex ingenti cumulo paucula quædā carptim arripuimus, in locis nostris communibus uberius omnia explanaturi. Gratia Christi tecum, Amen.

ἡμεῶν ἀνθρώπων οὐκ ἐπεθύμησα.

19 746 a

X 2206884

n.c.



B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



2252

NOVAE

DOCTRINAE AD VETES-
rem collatio per Vrbanū Regium.

M. D. XXVI.

Eme, Lege, Iudica.

